

W. n. 24

ACTA  
SACRORVM  
SECVLARIVM  
ACADEMIÆ  
DVISBVRGENSIS

IN ORDINEM DIGESTA

ET

BREVI HISTORIA

FESTÆ SOLENNITATIS

ALIISQVE NONNVLLIS

MONVMENTIS

ILLVSTRATA

à

JOANNE HILDEBRANDO WITHOFFIO.



DVISBVRGI ad RHENVM,

Apud HERMANNVM OVENIVM, Acad. Bibliopolam, 1756.

Ex libris H. G. Buchh.


AGTA  
SACRORVM  
SECVTVM



H. v. II. 129  
DIVERSARIENSIS  
2. Jahrg.

BREVE HISTORIA

IOHANNES HILDEBRANDUS WITTHORIO



*AVGVSTO*  
*SERENISSIMO ET POTENTISSIMO*  
*PRINCIPI AC DOMINO,*

**D. FRIDERICO II,**  
**REGI BORVSSIÆ,**

**MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO,**  
**S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI,**  
**SVPREMO VTRIVSQVE SILESIE, NEC NON**  
**COMITATVS GLACENSIS DVCI DOMINOQVE,**

**ARAVSIONVM, NEOCOMENSIVM, AC VALANGINORVM**  
**PRINCIPI SVPREMO;**

**DVCI GELDRIÆ, MAGDEBVRGI, CLIVIÆ,**  
**JVLIE, MONTIVM, STETINI, POMERANIÆ,**  
**CASSVBIORVM, VANDALORVM, MEGALOPOLEOS,**  
**VT ET CROSNÆ IN SILESIA;**

**BVRGGRAVIO NORIBERGENSI;**

**PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI,**  
**VENDORVM, SVRINI, RACEBVRGI, FRISIE**  
**ORIENTALIS ET MOERSIÆ;**

**COMITI HOHENZOLLERÆ, RVPINI, MARCÆ,**  
**RAVENSBERGÆ, HOHENSTEINII, TECLABVRGI,**  
**LINGÆ, SVRINI, BVRÆ ET LERDAMI;**

**DVNASTÆ RAVENSTEINII, TERRARVM**  
**ROSTOCHII, STARGARDIÆ, LAVENBVRGI,**  
**BVTAVII, ARLAVIÆ, ET BREDÆ, ET SIMIL.**

**REGI, DOMINO AC PROTECTORI**  
**NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,**

HEROI INCOMPARABILI,  
FELICI, PIO, FORTI, MAGNANIMO,  
VERO TOTIVS ORBIS MIRACVLO,

OB


*CLEMENTIAM ET TVTELAM HACTENVS PRÆSTITAM*  
HOC EXIGVVM IMMENSÆ DEVOTIONIS MONVMENTVM  
SACRVM ESTO.

ADDITA. PALLADIÆ. CVI. MARTIA. LAVRVS. OLIVÆ.  
FRONDE. CORONATVM. CINGIT. VTRAQVE. CAPVT.  
ANTE. TVOS. CHARTAS. DEVOTÆ. PIGNORA. MENTIS.  
COMPLEXAS. GRATI. PONIMVS. ECCE. PEDES.  
QVÆ. TIBI. QVÆ. DIVIS. VENERANDE. PARENTIBVS. HEROS.  
DEBEMVS. PROAVO. QVÆ. REPETITA. TVO.  
QVÆ. REPETENDA. DIV. SCEPTRO. PIA. VOTA. BORVSSO.  
POSTERITAS. OMNIS. DEBEAT. ASTRA. VELINT.

REGIÆ MAJESTATIS

devotissima ac submississima  
cultrix

ACADEMIA DVISBVRGENSIS.



## PRÆFATIO.


**E**n tibi, Lector benevole, acta Sacrorum secularium  
pridie iduum Octobris, ob centesimum ab in-  
augurata Academia natalem divinitus nobis anno su-  
periore concessum, sicut oportebat, celebratorum;  
non omnia illa quidem, velut ex ipsa narratione fe-  
sti secularis his monumentis præfixa facile intelli-  
gi potest, sed præcipua tamen, quæque primo potissi-  
mum religiosæ solennitatis hujus die contigerunt, ad  
gratæ mentis ac pietatis nostræ sinceritatem primum  
IMMORTALI DEO illiusque adorando numini, ac de-  
inceps clementissimo potentissimoque REGI NOSTRO,  
Ejusque serenissimis MAJORIBVS ob præstita tam diu-  
turnæ conservationis & tutelæ beneficia testifican-  
dam, & inter eos quoque divo illi gloriosissimi no-  
minis Heroi, Academiae hujus Conditori, FRIDE-  
RICO GVILIELMO, re & appellatione verè Magno;  
cujus memoria, ut orbi terrarum universo ob vir-  
tutes, quantæ in ullum vel Principem, vel homi-  
nem quemcunque alium cadere possunt, toga sago-  
que maximas dudum in stuporem & admirationem  
rpto,

rapto, ita nobis præcipue, totique huic regioni ac  
 Academiae ob peculiarem indulgentiam debet esse  
 sanctissima. Ne plura ceterorum dierum Acta te-  
 cum communicarentur, non negligentiae cuidam,  
 sed partim ardentissimo quorundam desiderio, cum  
 aliqua propemodum exostulatione juncto, ea  
 videlicet cognoscendi legendique, quæ ipso festi se-  
 cularis die dicta factaque fuissent, partim ipsorum  
 Patrum Academicorum judicio tribuendum est, ita  
 scilicet subductis rationibus statuentium, satius esse,  
 si omnibus, quæ ad inutilem ostentationem perti-  
 nerent, quæque singulis annis ita sæpe recurrerent,  
 ut nemini possent nova vel incognita videri, recisis  
 atque amputatis, ea potissimum exhiberentur, un-  
 de fata ipsius Academiae innotescerent, eorumque  
 memoria posteritati commendaretur. Mediam ita-  
 que viam nobis terendam esse duximus, operam da-  
 re volentibus, tum ne apparatus omnis, ut ita lo-  
 quamur, in meros fumos & cineres dispergeretur,  
 nullo fructu, qui in posteros rerum suarum & præ-  
 cedentium temporum curiosos redundaret, super-  
 stite, tum ne nimia mole multis insuper emblematis  
 instructa oculos potius intuentium pascere,  
 quam solos legentium animos detinere voluisse vide-  
 remur. Ad humanissimas exterarum Academicarum  
 epistolas responsorias quod attinet, eas servato ini-  
 tialium literarum ordine tales repræsentavimus, qua-  
 les

les accepimus, relicta unicuique orthographia sua, quæ singulis arrisit. Si unius alteriusve Literæ in hac Sylloge non conspiciantur, non illud nostræ negligentia, sed alterius nescio cuius incuriæ, per quam evenit, ut in manus nostras non inciderint, imputandum esse scito. Nobis officii & humanitatis ratio unicuique, sicut decebat, diligenter præstita satis superque constat. Sphalmata typographica & pauca fore speramus, & fere hujusmodi, ut à quovis mediocriter attendente facile emendari queant. Unum alterumque, quod inter relegendum occurrebat, licet & ipsum sit levissimum, hic annotare placuit. Pag. 2. lin. 5. pro *ipse* lege *ipsa*. Pag. 32. in Notis lin. 2. pro *obverfatas* lege *obversa*. Pag. 53. lin. 32. lege *würden*. Pag. 68. lin. 6. post *Berg*, adde nomen *Wilhelm*. Ibid. lin. 31. post vocem *sage* adde *ich*. Pag. 116. lin. 26. pro *Paretonias* lege *Parætonias*. Pag. 117. lin. 3. pro *feroces* lege *feroces*. Vale, Lector humanissime, cælesti Gratia, omnis solidæ eruditionis ac pietatis scaturigini, ejusque benedictioni nobiscum commendatus. Scribebam Duisburgi ad Rhenum, V. iduum Martii, ANNO MDCC LVI.

OTRIH


SERI-



## SERIES EORVM,

Quæ hoc Volumine continentur.

- Joann. Hildebrandi Withofii Historia Festivitatis Secularis in Academia Duisburgensi celebratæ.
- Ejusdem Carmen Seculare, simul hujus temporis tot terræ motibus per univèrsùm fere orbem memorabilis faciem repræsentans.
- Ejusdem Programma, quo Academiæ Sacra secularia indicuntur.
- Petri Janssen Gedächtniß- und Danck-Predigt in der grossen Kirche zu Duisburg gehalten.
- Joann. Hildebrandi Withofii Oratio Panegyrica in Festo seculari Academiæ Duisburgensis habita, brevem simul totius Academiæ Historiam comprehendens; cui additus est
- Syllabus omnium eorum, quibus Fasces Academici elapso seculo commissi fuerunt; item
- Series omnium Academiæ Duisburgensis Professorum juxta Facultates dispositorum.
- Elenchus laborum in Universitate Duisburgensi cum hodierna ejus facie.
- Epistola Academiæ Duisburgensis ad exteras per Germaniam Academias Evangelicas, aliaque illustria Lycea, Sacrorum secularium nuntia.
- Epistolæ Academiarum exterarum & Gymnasiorum responsoriæ juxta ordinem Alphabeti digestæ, interque eas Jo. Christiani Wernsdorfii h. t. Prorektoris in Academia Helmestadiensis Programma de Civitatibus Asiæ *Νεωνόροις*, honori Academiæ Duisburgensis datum.
- Andreas Watsons Spuren der göttlichen Vorsehung in Gründung des Duisburgischen Musensitzes; besungen in der Königl. Deutschen Gesellschaft zu Königsberg.
- Ode auf das frohe Jubel-Fest der Universität Duisburg.
- Narratio brevis Inaugurationis ante centum annos factæ.



HISTO-



*HISTORIA*  
FESTIVITATIS SECVLARIS IN  
ACADEMIA DVISBURGENSI  
CELEBRATÆ.

---



Religionem & Justitiam, duas virtutes cardinales, quantumvis sæpe nimis affectibus obscuratas, ab ipso tamen supremo Numine pectoribus mortalium impressas & plane cælestes, ab omnibus non minus æternæ quam temporalis salutis amantibus rite colendas ac exercendas esse, nemo unquam, nisi sanæ rationis expers, in dubium vocavit; nemo, nisi extra hominum Societatem in regiones, ubi nec Solis nec Lunæ usura fruatur, amandandus, inficiari sustinuit. Quo pacto autem hæc tam præclara supremæ & infinitæ illius Mentis dona in genus humanum adeo clementer derivata omnium optimè & sincerissimè excoli & exerceri, quibus potissimum modis ac rationibus

A

bus

bus, quo rituum & circumstantiarum apparatu, magnone an parvo, splendone an simplice in actum deduci debeant, nimis crebro etiam inter eos, quibus Titan pectora de luto meliore finxisse videri posset, disputari, & tanta, prohi dolor, animorum vehementia atque contentione agitari comperimus, ut ipse jam tantarum tamque caelestium Virtutum istarum cura nulla, nullus amplius cultus & reverentia inter eos supresse videatur. Nucleum ita sublatum esse, solos autem restare cortices, sola, inquam, inanis appellationis putamina, de quibus certamen tanto saepe, tamque irreligioso animorum motu instituitur, tristis experientia satis ostendit. Quod de Religione & Justitia diximus, idem de omnium bonarum Artium & Scientiarum multiplici ad vitae commoda magis magisque promovenda usu & necessitate non immerito affirmamus. Has enim diligenter omnibus ingenuis, simulac ad justam aetatis & rationis alicujus maturitatem pervenerint, instillandas atque inculcandas esse, omnes, nisi desipere voluerint, aut in extremas insulas, ferarum lustris & cubilibus plenas, humano autem cultu vacuas, ablegari & projici mereantur, unanimi consensu fatentur. Quo pacto autem, quibus modis locisque hoc potissimum fieri possit ac debeat, quamvis moratiores, nihil forte fortuna, sed potius experientia duce & sanae rationis instinctu quaelibet ordiri gaudentes, satis compertum habeant, & in illud jam dudum conspirent; non desunt tamen, qui mirificis cogitationum suarum figmentis, novas saepe Chimæras quasdam, Nafonianis Metamorphosis vix magis usitatas, concipientibus, indulgeant, & extra tritam aliis hominibus orbitam in quævis avia & præcipitia delirare malint; quod illis saepe non tam ob novandi pruriginem & vanæ laudis aucupium, ut humanissime loquamur, quam ob tenuem recte judicandi facultatem contingere animadvertimus, quoties se videre arbitrantur, sapientum Majorum instituta diurnitate temporum & hominum incuria, sicut fieri solet, aliquid vitii contraxisse; quod ut non semper evitari satis ac præcaveri potest, si naturæ humanæ imbecillitatem rerumque sub-lunarium vicissitudines intueamur, ita implorato supremi Numinis auxilio semper & ubique corrigi atque emendari potest debetque, si non tam vana cruditione instar puerorum turgidi, quam vera doctrina simul cum sincera supremi Numinis veneratione, sicut oportet, imbuti ejus meritissimas laudes & gloriam, qua nos ipsi beatiore multo multoque doctiores reddimur, non vanam nostræ, si extra Dei cultum fuerit, tam paupertinæ supellectilis prædicationem propagare studeamus. Hujus voluntatis ac consilii tam salutaris non tralaticia specimina jam ante ducentos pluresque annos ii dederunt, qui varios

erro-

errores & abusus, quos in sacrarum rerum disciplinas & exercitium irrepsisse constabat, decenter emendare conati fuerunt. Hos enim agnoscere & fateri generosi ac magni prorsus animi indicium esse, corrigere autem & in melius convertere piis ac sapientibus nequitiam erubescendum fore statuebant. Talis vero tamque salutaris curæ fructum non solummodo in cætus quosvis populares statis diebus ad uberiorem cælestium rerum cognitionem & concelebrandas Dei laudes congregari solitos ubique in urbibus, in oppidis, in agris derivari, sed etiam in ea præcipuè loca diffundi voluerunt, in quibus ingenua Juventus, futuri temporis seminarium, altioribus studiis, Religionem & Justitiam cum omni decore, & eximia quadam hominum tam temporalia corporis animique, quam perennatura commoda promovendi facultate ipestantibus, adsuè facienda erat.

De Academiis, sicut vulgo appellantur, nos loqui, neminem opinor latere posse, simulque intelligere omnes, quam his immerito mortales nonnulli tam pertinax odium indixerint, tot piorum sanctorumque institutis non contenti, & dum singularia spirant, paulatim rerum omnium confusionem cum spississima vereque Cimmeria caligine introducturi, idque nolentes etiam volentesque tandem confesuri, nisi se solos omnis humanæ imbecillitatis ac nævorum expertes esse, semperque cum omnibus eandem lubricam viam calcantibus futuros, arroganter sibi persuadeant. Idem de iis quoque existimari & judicari oportet, qui ex causis longe diversis, aliaque intentione & scopo harum tam salubrium barbariei, ruditatis & ignorantiae expultricum decus elevare consueverunt; qui voluptatibus dediti, aut incomtam morum austeritatem pro virtute habentes, hinc Sybariticæ mollietis, illinc Cyclopicæ feritatis intemperie dementantur, satiusque existimant, imo etiam, si Diis placet, elegantius, majorumque suorum fumosis imaginibus ac ceris magis quoque congruum, si nihil solidum seriumque meditantes, leviores aliquot quisquillas fucis quibusdam calamistrisque nonnihil adornatas, ac sola recentiorum vernacula titivilitia instar canis è Nilo lambentis delibaverint, ac deinceps magno cum supercilio non sine petulantibus dictis futuro cujusvis solidæ eruditionis, sapientiæ, gravitatis ac peritiæ naufragio præcludere possint; præteritis scilicet primum ob inertiam & temporis corrupto sæculo ejusque elegantibus ineptiis impensi penuriam, deinceps etiam, ne frustra sic delirasse videantur, contemptis omnibus fuceidæ ac robustæ doctrinæ nutrimentis, ejusque fontibus cum locis ipsis, ubi talia inculcantur, & in succum sanguinemque converti ju-

bentur. Nec multum hoc corrupti & paleis exfurdati stomachi vitium mirari possumus, si recordemur, delirantibus olim Israëlitis non ipsas cœlestes etiam dapes, & coturnices turmatim in eorum castra demissas perversam Ægyptiaci porri & alliorum, qualia prius fastidiverant, cupiditatem & desiderium excutere potuisse. Adeo præsentia bona in orbe terrarum sæpissime si non contumeliis affici, certe negligi & floccifieri solent. Est hæc mentium humanarum, nisi sapientiæ & probitati studeant, naturalis levitas & inconstantia, non magis admiranda, quam si diem nocti, noctem iterum diei, post statum tempus denuo tamen apparituro, succedere videmus.

Nos, quam infinitas & immortales gratias primum Deo, supremo rerum omnium bonarum largitori, ac fonti unico, tum serenissimis ac potentissimis Principibus, hodierno scilicet Regi nostro vere Augusto, ejusque sanctissimis Majoribus, ob concessam hanc literariæ Palestræ, & in hodiernum usque diem tam clementer ac benigne continuatam felicitatem, debeamus, pulchre intelligimus & libenter prædicamus. Hæc artium quarumvis & scientiarum tam civilium quam sacrarum officina, *Academia Duisburgensis*, quantos fructus & commoda non solum Cliviæ nostræ, sed variis etiam in Germania, inprimis autem vicinis quaquaversum regionibus, circa Rhenum inferiorem sitis, & magna ex parte eorundem Sacrorum observantia inter se colligatis, attulerit, & etiamnum per Dei gratiam afferat: quantum splendorem huic Urbi, olim quidem, sicut vulgo creditur, regiæ Francorum sedi, deinceps nudinis etiam commerciisque per superiorem inferioremque Germaniam agitatis celeberrimæ, postremo tamen, ut fit, nonnihil retro lapsæ, etsi ne nunc quidem lacertos ad pristina commoda aliquatenus recuperanda movere desinenti, quantum, inquam, nomen & decus cum insignibus emolumentis conjunctum ipsi pepererit civitati, nemo est, qui ignorare possit aut diffiteri, si modo superiorum aliquot proxime antecedentium seculorum imaginem cum præsentibus temporibus comparare voluerit. Tanti boni per integros centum annos continuati, & inter gravissimas bellorum tempestates non semel interea natas debachatasque conservati gloria, post Deum immortalem, serenissimis Novemviris Brandenburgicis, ac potentissimis Borussia Regibus, Dominis ac Principibus nostris clementissimis, debita, quin jure non tantum quotidianis & semper à bono cive fieri consuetis precibus, sed interdum etiam extraordinariis quibusdam ac solennibus ceremoniis prædicari debeat, nemo in dubium vocabit, nisi infrunitæ cujusdam impie-

impietatis patrocinium suscipere voluerit. Elapso itaque à condita hac inaugurataque Academia, vel potius ad finem vergente seculo, nihil prius & antiquius esse videbatur, quam hujus officii & pietatis nostræ, more aliarum tot insignium per Germaniam & Belgium Academicarum, specimina coram toto orbe literato exhibere, & posteris nostris eadem, ut speramus ardentemque precamur, felicitate posituris, relinquere.

Hujus gratissimæ mentis & ardoris nostri pietatem cum nec clementissimo Musagetæ nostro, alteri temporis hujus Alexandro ac Cæsari, ad utrumque parato, nec iis, quorum peculiari curæ ac tantæ, quanta à generosis altisque mentibus proficisci potest, defensionem à summo Principe nostro, Rege clementissimo, commendati sumus, displicere aut improbari animadverteremus, statim de justa ac legitima horum Secularium Sacrorum solennitate cogitatum riteque deliberatum fuit. Diligenter imprimis præcavendum videbatur, ne tam vanis & ludicris, sublimem divinarum quarumvis & humanarum Scientiarum sanctitatem parum decentibus, quam potius necessariis, orbi literato non injucundis, ipsique etiam seræ posteritati nostræ forsitan utilibus ac fructuosis occupationibus istorum, quibus hæc Sacra peragenda erant, dierum brevitatem consumeretur. Dies scilicet erat Octobris decimus quartus, verus hujus Academicæ ante centum annos inauguratæ natalis, qui cum duobus sequentibus ob negotiorum multitudinem ac pondus huic solennitati necessario consecrari debebat. Fasces Academici tum penes Virum Amplissimum *Joannem Alexandrum Guinandum Pagenstecherum* erant, Juris in hac Academia Antecessorem celeberrimum; sub cujus annui Magistratus exitu hæc solennitas inchoanda, quemadmodum sub ejus in hac dignitate futuro Successore finienda erat; ne vel latum unguem à momentis temporum ante centum annos in ipsa dedicatione hujus sanctissimæ Aedis celebratorum, & ab eorum imitatione gratissimis mentibus instituenda discederemus. Ab hoc igitur Viro Consultissimo, novis tunc gravissimis curis, sed post centum annos in alium, feliciter tamen, ut optamus, devolvendis, onerato, Senatus Academicus satis mature solitoque frequentius cogebatur, tum ut ea tempestive præpararentur, quæ ad majorem toti operi splendorem conciliandum, quæque ad pompam & ornatum non minus locis quibusdam Academicæ jurisdictioni subjectis, quam imprimis Auditorio majori per se satis amplo ac spatiose procurandum, & interdum pariter noctuque, excitato videlicet in area primariæ Aedis ingenti pegmate, & illatis multis serenissimis

nissimarum lampadum millibus, artificiosas figuras & emblemata collustraturis, exaggerandum pertinere videbantur: tum ut plerisque nostrum, à quibus potissimum hæc sacra, nulli per vitam bis videnda, administrari debebant, suæ partes imponerentur, decenter ac ordine cuius præscripto festis diebus explicandæ; ita tamen, ut juxta tritum vetustate proverbium à Jove principium, hoc est, ab invocato supremi Numinis auxilio, præstitoque divinæ bonitati & clementiæ ob concessam hujus tam exoptati temporis felicitatem devotissimæ pietatis officio totius negotii primordia caperentur. His rebus omnibus, ceterisque multo pluribus, ad decus & operis magnificentiam, tum etiam ad hospites valde numerosos, quos tam variis literarum studiis ac dignitatibus, quam natalium suorum splendore conspicuos huc avide confluros esse jam præviis rumoribus acceperamus, decenter excipiendos habendosque comiter, pertinentibus, ita ordinatis, proxima cura à nobis exigebat, ut totius operis designationem, ipsasque quasi lineas futuræ celebritatis jam ductas una cum tempore ac diebus illustrissimo Regimini Clivensi, ejusque Præsidibus magnificentissimis, peculiaribus hujus Prytanæi bene constituendi Duumviris, ceterisque tam eminentis Areopagi membris excellentissimis reverenter significarem; quorum præcipuæ jurisdictioni & imperio post serenissimum ac potentissimum Regem, Dominum nostrum clementissimum, tanquam vicariæ auctoritati, juxta vetustas sacræ hujus quarumvis scientiarum Officinæ leges ac statuta subjecti demandati que sumus. Hoc factò fama primùm, deinceps certa etiam notitia percrebuit, plerosque tantorum tamque illustrium Procerum ipsos sacris his actibus statuto tempore peragendis interfuturos, suæque præsentia dignitatem festi secularis aucturos esse, sexu etiam sequiore cum nobilissimis suis Conjugibus huc iter affectare gestiente, ut si non semper auribus fructum, certe oculis in conspiciendo ubique tot tantarumque rerum apparatu ac pompa oblectationem caperet non prænitendam.

Eandem imminentis celebritatis ac festi secularis notitiam amplissimo hujus Urbis Magistratui, Consulibus, Scabinis, ac Senatoribus, Viris honoratissimis, solenniter per eum, qui Academiæ à secretis est, faciendam curare, non solum æquum verumque, sed etiam utile ac salutare fuit visum, ut ille pro amore & benevolentia suâ, tum etiam pro amicitia nexuque quotidianæ conversationis artissimo, qui huic Academiæ cum civitate intercedit, quædam necessaria tam ad avertendas omnium incommodorum scaturigines & occasiones, quam

quam ad procuranda publicæ pariter securitatis ac augendæ celebritatis adjuncta, mature dispicere & ordinare dignaretur; quod ille non solum benevole pollicitus est, sed etiam, sicut deinceps intellecturi sumus, ubertim ac prolixè præstandum curavit, seric rerum earum omnium, quæ faciendæ & observandæ, quæque interdum noctuque tam ad portas Urbis à certa statione, quam in ipsis primariis ejus locis vicisque sollicitè peragendæ forent, civibus in solitas suas cohortes ex more distributis & peculiarium Tribunorum auctoritati subiectis, accurate præscripta. Et cum difficultas quædam nata fuisset de loco tot convivis, qui epulo solenni post habitos Actus seculares interfuturi videbantur, recipiendis apto fatisque spatiofo, ab eodem Magistratu Curia usus in principio petitus concessusque fuit, Templo scilicet Academico soli panegyricæ celebritati, sicut oportebat, reservando. Sed huic consilio quædam deinceps obstiterunt, multas secum molestias, ut credebatur, tractura. Placuit igitur amplas & satis insignes ante annos non adeo multos duorum Consulium, jam vero cujusdam Mercatoris aedes in platea, ut vocant, superiore fitas, & tunc opportune vacuas, in hunc usum conducere. Quæ sententia cum sedisset, omnia necessaria deinceps illic ordinata sunt ac decenter instructa.

Sed priusquam talibus negotiis se accingerent ii, quibus hujusmodi cura demandata fuerat, adhuc plura restabant agenda, quorum ratio non levis erat. Nam cum amplissimus Senatus Academicus pulchre meminisset, mutuam quandam, ut inter artium quarumvis & scientiarum ingenuos cultores, ita etiam inter omnes earum sacrosanctas & venerabiles Officinas, Academias videlicet ipsas, amicitiam semper fuisse & esse debere, præsertim vero talem inter eas alternis officiis & quovis benevolentia indicio colendam atque testandam esse, quibus in Germania, communi parente nostra, ante aliquot Secula major & uberius cælestis doctrinae lux quædam, discussa, sub qua gemebatur, caligine, apparere cepit, idcirco peculiari decreto censuit, eas de secularibus Sacris huic Academiae decimo quarto Octobris die, velut natali, instantibus per literas eruditorum lingua exaratas, ex more laudabili & adversus se quoque pro rerum circumstantiis toties ab aliis servato, vicissim certiores esse reddendas, ut etiam absentes, si vellent, pro insigni benevolentia & pietate domi forisque sua suorumque civium, ingenuæ Juventutis, vota votis nostris precibusque conjungere possent. Quo facto, quanta earum, quam singularis humanitas & benevolentia, quam generosus ac verè Christianus,

stianus,

stianus, quem lætissimis mentibus amplectimur & prædicamus, ardor, quanta contentio exstiterit, aliis etiam vel remotissimis, sororio tamen ubique vinculo inter se copulatis, omnis doctrinæ ac virtutum Seminariis fausta quævis prosperaque apprecandi, ipsarum responsoriæ, quas infra suo loco cum nostris exhibituri sumus, literæ satis superque declarabunt. Earum enim nonnullæ sunt, quæ præter solitas gratulationes, nihil nisi benevolentiam & favorem spirantes, præclara quoque insignis ac prorsus extraordinariæ cujusdam humanitatis, non nisi politissimis & elegantibus ingeniis congruæ, pignora, ut Musis simul Duisburgensibus exhiberentur, publicis typis impressa continebant; quæ merito cum ceteris curiosæ lectorum aviditati cognoscenda sistemus; debitas interim gratias ea, qua par est, veneratione omnibus & singulis agentes, nec paribus unquam mutuæ pietatis ac benevolentia; officiis reverenter & sine furo præstandis unquam defuturi.

His omnibus ac pluribus aliis jam rite præmissis, quæ partim necessitas imperaverat, partim humanitatis, ab ipsius humanæ naturæ præstantia nomen fortitæ, tenor ac regula præscripserant, in dies sollicitudo & innumerabilium rerum procuratio crescebat, cum ipsorum laborum cumulo; quos pietas exigebat, primum immortalis Deo, supremo rerum omnium Conditori ac Servatori unico, æterno, inexhausto, invisibili pariter & tot divinæ benedictionis misericordiarumque vestigiis visibili fonti, tum Regi nostro potentissimo, ejusque serenissimis Majoribus, hujus Academiæ nutritoribus benignissimis, pro tam clementer indulto centum annorum curriculo, pro tanta inter luctuosas temporum vices atque calamitates conservatione, pro tot beneficiis præstantia. Quo magis ipse dies cum proxime sequentibus huic solennitati destinatus appropinquabat, tanto magis animi Patrum Academicorum ad singula rite providenda incendebantur. Ante omnia quoque iis curæ cordique erat, ne inter egregios Juvenes, disciplinarum suarum alumnos, ingenuos quidem illos omnes honestosque, tot tamen tamque diversis sæpe studiis ductos, quicquam perverse, aut inordinate ageretur, quo durantibus his Sacris læta futuri temporis omina possent timidis ac superstitiosis iudicibus aliquatenus turbata vel incestata videri. Hinc aliquot ante inchoatam solennitatem diebus, gravi paternaque admonitione valvis utriusque Auditorii adfixa, illis studiorum, quibus se vitamque suam consecrassent, dignitas, Festi Secularis jamjam celebrandi sanctitas, nobilis ac verè generosæ mentis altitudo, gloriæ quoque apud posteros ob  
mutu-

mutuam comitatem & benevolentiam invicem præstitam celebrandæ dulcedo, tum propriæ salutis ac felicitatis conservatio cum ipsorum parentum sollicitudine diligenter in memoriam revocabantur. Nec talia sine pondere fuisse monita, ipse eventus satis superque testatus est. Non enim diffiteri oportet, per omnes hos dies, quibus tota Urbs incredibili hominum sexus utriusque multitudine referta erat, tantam nobilissimorum Juvenum undique ad Academiam, velut ad mercatum quendam, confluentium & tunc bonarum literarum studiis operatorum fuisse modestiam, vitæque totius ac morum concinnitatem, tantum in pompis solennibus ordinem, & in publicis actibus quietem, tantam post eos finitos se variis iterum in locis, ubi reliquum diei jucunde ac decenter exigeretur, sine strepitu congregandi diligentiam, tantam legum reverentiam & decori religionem, tam innoxiam in ipsis conviviiis inter musicos concentus hilaritatem, ut grandævi etiam senes confessi fuerint, se, quoad longissime respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam sibi refricare possent ultimam, vix similem, certe nunquam majorem in tanto tamque vivido & numeroso Juventutis flore continentiam ac suavitatem observasse, invicem sine omni querela, aut prava æmulandi emittendive libidine verbis factisque continuatam. Cyneam, Pyrrhi Epirotarum Regis legatum, Roma in castra domini sui redeuntem, & de hostili Æneadam sede interrogatum respondisse ferunt, Urbem sibi templum, Senatam vero Regum aliquem confessum fuisse visum. Verè hoc ac sine omni jactantia affirmare licebit, omnibus exteris indigenisque fatentibus, singulos Academicorum civium per id tempus conventus gregesque, non Juvenum prætextata lascivia exultantium aut nepotino luxu diffluentium globos, sed Virorum gravium decenti lætitia animos suos diffundentium cœtus esse visos.

Sed ut in orbitam, unde cursum paulisper fleximus, regrediamur, inchoatam narrationis telam ordine pertexemus. Biduo ante festam lucem cum certo jam constaret, præter ceteros quosdam, Sacris nostris Secularibus ut interessent, designatos, illustrissimi Regiminis Clivensis Proceres, potentissimo Regi nostro à Consiliis secretioribus constitutos, deque Juris & Justitiæ sanctitate præclare meritos, ipsos quoque tam eminentis Collegii Præsides, Academiae nostræ bene constituendæ Duumviros, perillustres & excellentissimos Viros D. *Joannem Petrum de Raesfeld*, Toparcham in Bronckhorst, & D. *Abrahamum de Kenen*, Hereditarium in Germenseel, Patronos ac Fautores Literatorum eximios, jamjam vicino Rheno,

B

ut

ut in hanc urbem se conferrent, appropinquare, protinus ii, quos Academica Juventus è suo numero circiter quinquaginta omnes equitandi peritos selegerat, equos suos à meridie inter utrasque conciones sacras (dies erat solis) conscendebant, ut vario insignique phalararum ornatu mire decoratos, ita ipsi quoque pretiosis vestibus, quantum fieri poterat, induti. Sic egregie comiti compositique Tribuno, quem sibi constituerant, ducente, & comitante Vexillifero, obviam Viris illustribus procedebant usque ad Rhenum, ubi è regione Essenbergæ (Asciburgium Taciti ab Ulysse, sicut narrat, in litore Rheni conditum sub hoc nomine locique ruderibus latere plerique vetustiores Annalium conditores nobis persuadere cupiunt) è pontonibus cum vehiculis suis ac comitatu in litus iterum descensuri erant. Quo facto simulac iis de felici prosperoque adventu nomine totius Academiæ ea, qua par est, reverentia & honore per unum è medio suo oratorem gratulati essent, inter musicos concentus, hoc est, æneatorum ac tympanotribarum lætissimos strepitus præcedere, eosque non sine insigni pompa in Urbem deducere cæperunt; omnibus hominibus, viris scæminisque, senibus ac junioribus, insolitæ rei spectaculum intuenti aviditate incensis, & certatim in publicum provolantibus, aut domorum suarum exedras, unde liberior prospectus daretur, occupantibus. Et quia urbana Juventus annua sua plumbeas glandes ad scopum proposito præmio dirigendi exercitia ab Augusto in mensẽ Octobrem eo consilio distulerat, ut his sacris Academiæ diebus tanto comitior paratiorque ad præstanda devotæ mentis officia appareret, hinc ipsa quoque in consuetos sibi manipulos distributa pedestri agmine cum suis instrumentis Musicis signoque processerat, ut iisdem illustrissimis Proceribus alacritatem suam probaret, eosque, quos nobilis ingenuaque Palladiæ Juventutis turma in equis deducebat, à tergo pedestris cohors sequeretur, & ita agmen clauderet. Adulto jam die ac propemodum ad vespèram inclinante, ingressus in Urbem fiebat, ita ut sequens unicus festæ luci proxime antecedens Viris illustribus ad quietem concederetur, nisi quod ex quavis Facultate Professores ad illud peculiariter constituti eosdem domi suæ nomine totius Academici Senatus salutarent, ac de adventu denuo gratularentur.

Eodem die Lunæ, qui decimus tertius erat Octobris, & quandam Parasceves, ut ita loquamur, habebat faciem, omnibus majoris momenti negotiis jam rite dispositis, reliqua etiam si quæ restarent, in ordinem redigebantur, qui proximo die servandus esset quem-

quemque nemini, qualescunque partes alicui mandatae fuissent, deinceps migrare foret integrum. A meridie Programma publicis typis in duabus philyris impressum quibusvis honestioribus, & aliquem doctrinae gustum habentibus tam peregrinis quam indigenis ostiatim per apparitores Academicos distribuebatur, quo praeterquam quod de *praestantia Scriptorum in conservandis hominum rerumque memoriis ad locum Horatii Lib. IV. Odae VIII. memorabili emendatione restitutum differeretur, etiam Sacrorum Secularium solemnitas in proximum diem, decimum quartum Octobris, verum Academiae natalem, nomine Senatus Academici indicebatur.* Illud autem se mox Lectoris oculo perlustrandum sistet; ne quicquam, quod ad consecrandam temporis hujus & rarissimae festivitatis memoriam pertinet, a nobis omissum videatur. Die autem ad finem vergente, ab hora quinta in sextam, mandatu Magistratus urbani omnes in utroque templo campanae, velut imminentis Festi praenuntiae, binis vicibus ingenti cum itrepitu pulsabantur, quem incredibilis omnigenorum hominum, aliunde jam per aliquot dies confluentium & identidem novorum sibi hospitia, quae deficere incipiebant, quaerantium multitudo suis concursationibus non parum augebat. Nec ipsa Ccenobia, quorum in hac Urbe quatuor, duo Virorum, rotidemque Virginum, tam nobilium quam plebejarum, reperiuntur, aëris sui Campani sonitu novis Academiae Sacris applaudere cessabant; ut, quam grato animo suorum rituum libertatem non minus in hac Urbe, quam in tota regione sub sapientissimorum Regum nostrorum auspiciis haecenus indultam clementerque servatam agnoscerent, etiam sonoris his testibus declararent.

His aliisque similibus imminentis alicujus extraordinariae laetitiae indicia praemissis, tandem decimus quartus Octobris dies, qui antecentum annos primus Academiae natalis fuerat, sereno Sole, sicut optaveramus, oriebatur. Caelum certe ipsum multo purius arridere caeptis ac prospera quaevis ominari. Aër quoque saepe antea dubius omnibus repente nubibus exutus ipsum diem festum commendare videri. Hujus ergo diluculum omnes iterum per Urbem campanae ab hora matutina quinta usque in sextam vario dissonoque tumultu suaviter inter se concordantes annunciabant. Circa octavam omnes cujusvis dignitatis Ordines ad Auditorium Academiae majus multis sumptibus ornatum confluerant, quod novis etiam pluribusque subselliis, nova denique Musicorum statione, cancellis, ne quid molestiae huic artificum generi crearetur, circumdata, decoratum fuerat. Ex eo pom-

pa solennis inter armatas civium cohortes, in plateis ab utroque latere sub suis signis ac vexillis à Tribunis dispositas, instituebatur ad Ædem Urbis majorem à sancto Salvatore nomen trahentem, ipsis etiam Italis, ut accepimus, ob mirificam concinnitatem & symmetriam præ multis aliis admirabilem visam. Illic enim primum concio sacra cum devota gratiarum actione coram universa utriusque sexus multitudine, jam præcedente die dominico à suis Pastoribus de eo edocta, vernaculo sermone habenda erat; quæ provincia Viro Pl. Rev. *Petro Iansenio*, Sacrarum Literarum in hac Academia Professori demandata fuerat. Signo igitur omnibus iterum campanis dato, æneatoribus etiam tubas suas buccinasque é summæ turris tabulato simul instantibus, ita processum est, ne quicquam confusiois oriri posset, aut molestiæ. Primo universa Civium Academicorum, quarumvis artium & scientiarum studiis in hac bonæ Mentis officina deditorum, Corona incedebat, octo ducibus utens, quos ex agmine suo elegerat oblongis ac deauratis scipionibus, sicut factum est, instruendos, Hanc excipiebant decem, sicut appellantur, Candidati, qui in Sacris his secularibus supremos à quavis Facultate honores adepturi erant, tribus aliis eadem quidem laurea mactandis, sed ob itineris longinquitatem absentibus. Mox iterum nobilissimo civium Academicorum Pari cum deauratis suis scipionibus præcedente, perillustres Regiminis Clivensis ac Marcani Præsides, cum præsentibus summi illius Prytanei Proceribus, Regiis Consiliariis, ingrediebantur, insignem huic solennitati splendorem, sibi vero gratiosæ mentis laudem concilians, his præsertim temporibus, quibus verorum Mæcenatum numero ubique vehementer imminuto, plerorumque mentes ad genuinas illas veteresque Musarum dapes occalluerunt, levibus & evanidis recentiorum scriblitis inescatæ. Hinc jam Senatus Academicus, Rector videlicet Magnificus, & quarumvis Scientiarum Professores, incedebat, consuetos suos apparitores duos cum totidem Sceptris argenteis, legitimæ in cives suos jurisdictionis insignibus, ante se euntes habens, Togisque talaribus solenniter, ut solet, indutus, quem præcipui ipsius Ministri, Secretarius cum Questore sequebantur. Comparebant deinde ii, qui quamvis extranei, suis tamen natalibus aut dignitate conspicui pro singulari benevolentia se sponte velut comites obtulerant, quos inter illustris ac generosus Regiminis Meursani Præses *D. de Cloud* cum Regiis quibusdam Consiliariis erat, huc non minus ingenuo literarum & literatorum amore, quam loci propinquitate allectis. Iis amplissimus hujus Urbis Magistratus, qui deinceps sequebatur, locum suum libenter ac sine ulla

ulla mora querelaque cesserat. Habebat & hic consuetos suos apparitores Consulium ac Scabinorum vestigia à tergo legentes. Proximi deinceps omnes Oraculorum divinorum Interpretes incedebant, quotquot vel ex hac Urbe, vel aliunde confluxerant, eum ordinem servantes, quem ætas ipsa nullos scrupulos, si reliqua forsitan disparia reperiantur, injiciens, ac proinde facillima commodissimaque ceremoniarum moderatrix, præscribebat. Idem fere inter alios, qui succedebant, Viros honoratiores, & dignitatis alicujus ac scientiarum gradu, muneribusve, seu sacris, seu civilibus, seu scholasticis, aliisve similibus conspicuos, observabatur. Excipiebant illos, quotquot Academicæ jurisdictioni subjecti, vel ejus legibus aliquo modo obstricti sunt, quorumvis exercitiorum ad cultum corporis in Academica Juventute pertinentium Moderatores, variique generis Artifices & Magistri, tum Bibliopolæ, Typographi, nec non ceteri, qui se præcedentibus adjunxerant, ordinis inferioris ministri. Agmen illud innumerabilis indigenarum exterorumque cujusvis generis, conditionis, ac ætatis hominum multitudo claudebat.

Hoc ordine cum pompa processisset, & superiorem ac procul dubio vetustissimam Urbis partem, Burgi nomine insignitam, attigisset, cujus incolæ expansis ab unis ædibus in alteras è longinquo oppositas funibus varii generis coronas ex hornis floribus aliisque viridibus contextas suspenderant, Aedi Urbis majori illic sitæ appropinquatum est. Aream ejus introitumque urbana Juventus armis vestibusque bene composita, ne ab inconsulto promiscuoque concursantium globo repagula quævis arietare ac proturbare consueto violenter irrumperetur, ad utrumque latus collocata stipabat. Vix enim fretum, vix Euripus tot motus, tantas tamque varias habere solet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus sæpe plebis habet concursatio. Quod hoc tamen, totoque Festi secularis tempore non minus interdum quam noctu longe aliter se habuisse, tam Magistratum providentiæ singulari, quam totius civitatis probitati cum immortalis ejus laude debetur, exemplo dato, quod præfentes admirentur, imitentur posteris. Ingressu solenniter in Templum factò, & stationibus ab unoquoque rite occupatis, intromissis etiam tum reliquis, quotquot pulcherrimum hoc ædificium, undique ad stuporem usque refertum, capere poterat, post Odam Davidicam non assa tantum voce, sed omni simul organorum concentu inter ingentes æneatorum, tubicinum ac tympanotribarum fragores decantatam, primum Concio sacra, vernaculo, sicut diximus, ser-

mone ad locum Johannis Evangelistæ Cap. VII. V. 37. & 38. fuit habita, immensis simul Divinæ Bonitati & Clementiæ, pro concessa hujus diei lætitia & seculari festivitate, gratiis actis, totaque serenissima Gente Regia cum potentissimo & augusto ejus Capite, Musægeta & Tutore nostro, cælesti Benedictioni fufis enixe precibus commendata; ac deinceps Hymno Ambrosiano primo huic Actui finis impositus est.

Circa horam circiter undecimam eadem, quæ antea, pompa pari solennitate & ordine, iisdem viis ac ceremoniis ex Æde Urbis sacra ad Auditorium Academiae majus reversa est. In proprio scilicet Musarum sacrario Musis tam rara felicitate gaudentibus etiam gratulandum erat. Hic faciem præteriti temporis cum divina benignitate conspicere, hic omina futuri captare decebat. Post novos igitur Musicorum concentus & harmonicos fragores breviter, ne quid temporis interiret, institutos *Oratio Secularis* ipsa fuit habita, originem hujus Academiae, inaugurationis ejus olim factæ narrationem, nec non variorum fatorum & vicissitudinum per annos hos centum, & antea quoque, dum sola tantum sacrae Musarum sedis fundamenta fuerant posita, non semel immissarum historiam complectens, una cum omnium illorum, qui in ea docendis artibus & scientiis sacris pariter civilibusque operati fuerunt, Virorum celebrium & bene meritorum recensione, singulis, sicut ominari licet, jucundissima, qui tot hominum velut in lucem revocatorum, tot annorum temporumque, tot rerum præteritarum memoria delectantur. Orationis hujus habendæ provincia nobis, qui hæc scribimus, præter Historiæ Literarumque Græcarum disciplinas etiam Eloquentiam publice profitentibus, amplissimi Senatus Academici decreto fuerat imposita. Eam etiam qualemcunque huic fasciculo, sicut par erat, sine ullis aliis coloribus ac verborum cincinnis, sine rerum auctario deinceps ulterius quæsito, tanto libentius adjecimus, quanto gratius utiliusque posteris futurum videbatur, si accuratam omnium Doctorum seriem, quam antea satis incognitam turbatamque primi scilicet in lucem produximus integram, relinqueremus.

Hac Oratione circa secundam pomeridianam finita, tandem ad ædes, ubi aliquot mensæ exquisitissimis epulis, cibo potuque, largiter instructæ, pluribusque quam centum utriusque Sexus Convivis adaptatæ erant, discessum est, ut post animorum pabula, sua corporibus etiam solatia, jucunda illa quidem inter Musicos concentus lætaque,

taque, sed honesta tamen atque decora, non deessent. Nec luxus imitari Sybaritarum placuit, aut noctes Phæacum, sed illas potius, quæ postero etiam die saperent, Platonis cœnas longe ceteris elegantiores, hoc est, præter nitorem rerum dapumque varietatem Socraticis etiam sermonibus abundantes. Sui etiam ingenuæ Juventuti Academicæ conventus, necessariis oblectamentis inter tubarum tiliarumque clangores instructi, diversis tamen locis, ne quid confuse perverseque ageretur, instituti erant. Unum est, quod nobis defuit, quodque defuisse merito conquerimur. Senex quidam in vicinia colonus, vir honestus & integer, centenario longe major, ante paucas hebdomadas diem obierat supremum, quem ipsam hujus Academicæ inaugurationem ante centum annos factam adhuc meminisse fama percubuerat. Hunc, qualiscunque fuerit, depontanum senem, tam venerabilem, nec vulgari honore cultuque dignum, epulis nostris adhiberi non potuisse, id vero querimus ac dolemus. Ostensum forsitan fuisset, à nobis certe vel duplici de causa ostendi debuisset, non modo quondam, ut Pelignus Vates affirmat, cum Virtus ipsa sibi pretium sufficiens esset, omnesque fumosas ceras & imagines superaret, (si modo tale tempus unquam post Astræam semel ad Superos dilapsam terris nostris apparuit) sed nunc quoque magnam capitis cani reverentiam esse, & rugam senilem etiamnum apud bonos & generoso Honesto incocta pectora gerentes in pretio manere. Non tamen interea cives ipsi honorem & benevolentiam Academicæ declarare destiterunt. Ne quid periculi nasceretur, extra pomerium in vallo tribus vicibus bombardarum fragore solenniter facto convivantibus gratulabantur.

Jam advesperaverat; jam dies hic primus non somno vinoque, sicut olor Mantuanus ait, sed post publicam Panegyri omnium hilaritatis honestæ genere, omni morum & colloquiorum suavitate inter Cereris ac Liberi patris, alterius lætitiæ datoris, munera centusque Musicos sepultus erat; jam Soli Luna chorusque stellarum successerat, cum nunciaretur, plerasque totius Civitatis ædes, certe præcipuas omnes, incredibili cereorum, candelarum ac lampadum multitudine, velut innumerabilium stellarum novum jam diem per plateas vicosque repræsentantium miro splendore, non sine variis hic illic emblematis & picturis, ornatas atque distinctas esse: ingens præsertim visendumque pægma, cujus jam supra mentionem fecimus, in area majoris Acroaterii Academici multis tabulatis ac substructionibus artificiosis erectum, decoratumque præstantissimis figuris

ris & emblematis, quæ multa lampadum millia collustrabant, fulgere, & cælum ipsum innumerabilibus stellis distinctum, quoties hiberna nocte serenum est, non imitari tantum, sed etiam ob propiorem aspectum quodammodo superare. Data hæc Regiæ Domus æternitati, ipsique erant Regi, pace belloque mirabili, sub cuius umbra quieti vivimus: data hæc Academiæ ejusque serenissimo Conditore: data futuri temporis Spei erant. Hic Aquila illa Regia, hic Academiæ Duisburgensis Insignia cum Imperatore Romano Conditorem suum repræsentantia, incomparabilem Heroa, serenissimum quondam sacri Romani Imperii Octovirum, *Fridericum Gulielmum*, hic Minerva solenni suo apparatu, ægide & hasta, symbolicis avibus, gallo noctuaque, adjunctis, instructa, hic biceps ille Ianus, præteriti futurique temporis omen daturus, hic denique, ne singulis inhærendo lectoris patientia abutamur, hic, inquam, totus mons Helicon, vetustorum poëtarum carminibus tantopere celebratus, cum Apolline novemque suis Musis, singulis consueta sibi instrumenta manu gerentibus, & omnibus justa statura repræsentatis, conspiciendus erat. Pegma ipsum ingentis cujusdam portæ, vel potius hemicycli gerebat faciem, ad cuius utrumque latus stylobates ingentem columnam sustinebat, Obelisco vel Pyramidi non absimilem. Mediæ superioris pegmatis fronti hæc disticha legebantur inscripta, & tot micantibus flammis illustrata, ut vel è longinquo facile cognosci possent:

*Alter Alexander FRIDERICVS, & alter Achilles:  
Nec tamen ille Numa, nec Salomone minor.  
Cæsar utraque fuit, sed nunc quoque Cæsar utraque,  
Nobilis arte togæ, nobilis arte sagi est.  
Floreat innumeris per secula multa triumphis,  
Quosque pater Mavors, quosque Minerva tulit.  
Sol obit & surgit: FRIDERICI gloria nunquam  
Occidat. Occasus nomen & Ortus amet.*

Paulo superius autem ibidem hæc verba lucebant: *Academia in hac Urbe à serenissimo glor. mem. Principe FRIDERICO WILHELMO Ao. 1655. die 14. Oct. fundata & aperta. Omnia capitalibus, ut in oculos incurrerent, literarum ductibus erant consignata. Plura non addimus; uti nec quicquam eorum emblematum, figurarum & inscriptionum similiter cereis vel lampadibus illustratarum, quas pluri*

rimi per urbem incolæ, Proceres Civesque cum ipsis Academiae Patribus Alumnisque sanctæ hujus scientiarum Officinæ honori Sacrisque secularibus consecraverant. Cum ingenio nonnunquam labor, cum labore certabat ingenium. Nec unquam manifestius apparuit, quam sæpe diversi in una urbe sint hominum gustus, quam diversæ par idemque dicendi contentiones, quam discors votorum concordia; ut, si in una sententia tot sint modorum divortia, non immerito Venustus fidicen de toto vitæ genere pronuntiaverit, quot capita reperiantur, tot quoque studiorum reperiri millia. Unum in eorum adjiciemus gratiam, qui vel Chronodistichis, ut appellant, delectantur, vel sine claustralibus eorum inventis annos & tempora credunt non satis infigi posse memoriæ. Alicubi præter cetera comparebat etiam arbor, adstantis hortulani novam accipiens culturam, & radiis solaribus superne collustrata, cum hac designatione temporis & contentis operarii voto:

TeVtobVrgIaCIs noVa LVX, noVa gLorIa MVsIs  
annVat, & raDIos proferat, oro, noVos.

Sic primo ac præcipuo horum secularium Sacrorum die feliciter & decore transacto postera statim lux oriebatur; in cujus & sequentis diei celebritate describenda tanto breviores erimus, quanto minus tot eorundem hominum adhuc in Urbe commorantium, tum multarum quoque rerum & hilaritatis indiciorum bis mentionem facere necesse est. Hoc decimo quinto Octobris die, sicut juxta consuetudinem ab initio introductam annua Rectoris Academici dignitas ab uno in alium, jam præcedentis mensis die decimo septimo, Lamberti nomen in Fastis gerente, designari solitum, transferri solet, ita nunc idem actus similiter peragendus erat; quem Vir Magnificus & amplissimus *Joannes Alexander Guinandus Pagenstecherus*, Juris in hac Academia Antecessor celeberrimus, hanc dignitatem iterum depositurus, indixerat consueto Programmata præcedentis diei vespere distributo. Olim solius biennii tempus, quod in Academica statione transactum fuisset, requirebatur, antequam hujus aliquis dignitatis particeps redderetur. Nunc integri quinquennii spatium juxta leges requiri certum est, addita simul consuetudine, ut Facultates, sicut appellantur, ipsæ, non homines, sibi ordine succedant, utque ea solennitas binis orationibus, tam se abdicantis hoc magistratu, quam talem ineuntis, quotannis peragatur. Quapropter ingens iterum & stupenda concio, multoque numerosior confluit, quam ceteris annis fieri solet; cujus celebritatis causas nemo est quin facile

facile perspiciat. Deductis itaque præcipuis illustrissimi Regiminis Clivensis ac Marcani Proceribus ad majus Auditorium, circa horam decimam, post Musicos concertus vario instrumentorum genere editos, Rector Academiæ Magnificus paulo ante memoratus Cl. *Pageus* cathedram conscendit, habitaque *de Seculo* oratione, & præsentis Festi circumstantiis adaptata, cum Sceptris duobus argenteis ceterisque insignibus Academiæ regendæ curam transtulit in Virum Experientissimum *Christianum Arend Schererium*, Medicinæ Professorum Clarissimum, qui novæ dignitatis auspiciis similiter Oratione fecit, quam *de Convenientia inter Ideam boni Judicis & boni Medici* conscripserat. His actibus paulo post meridiem magno cum decore finitis, tempus suadebat, ut animis iterum ad honestam hilaritatem diffusis seriâ jucundis interpungerentur. Igitur, sicut præcedente die factum fuerat, rursus ad instructissimas epulas in iisdem ædibus ob convivarum multitudinem ordinatas discessum, genioque in seram usque vesperam non minus laute quam decenter litatum est. Durante hac lætitia ab universâ Juventutis Academiæ cohorte per quosdam è toto grege delectos Oda, in Academiæ ejusque serenissimi Conditoris, nec non Festi hujus secularis honorem vernaculo sermone conscripta, convivantibus offerebatur; orta vero nocte non modo in area majoris Aedis Academiæ (sicut etiam proximis duabus Vesperis sequentibus continuatum est) idem ille lampadum & emblematum apparatus conspiciendus erat, sed permulti quoque Urbis incolæ eundem, quem antea, honorem his Sacris exhibendum curaverant.

Sequebatur tertius Academiæ celebritatis dies, quo scilicet honores tandem, quos appellant, Doctorales ab omnibus Facultatibus iis conferendi erant, qui tales ambiverant, suamque doctrinæ, in qua versantur, notitiam vel editis in lucem dissertationibus ea fini scopo exaratis, vel aliis speciminibus abunde declaraverant. Hi numero erant tredecim, quorum nomine totidem Programmata à singulis Promotoribus scripta & circa præcedentis diei vesperam ab apparitoribus Academicis pro more distributa fuerant. Actus omnes in unius hujus diei, XVI. Octobris, antemeridianum tempus, secus quam antea visum fuerat, compingendi, ac propterea singulorum sermones in compendium redigendi erant, quia illustres & consultissimos Clivensium Proceres amplissimi muneris dignitas & negotiorum multitudo domum revocabant, quo se plerique post aliquot dies conferre decreverant. Primus itaque cathedram conscendit Vir Pl. Rever. *Philippus*

pus *Jacobus Ammendorfius*, Theologiæ Professor Ordinarius, habitoque sermone duos eruditissimos Viros, ac præsentem quidem *Henricum Godofredum Rochollium*, Theologiæ in Hammonensium Athenæo Professore, ibidemque Oraculorum divinorum in Ecclesia Interpretem, absentem vero *Abdiam Velingium*, A. L. M. & Philosophiæ Doctorem, nec non olim in illustri Buscoducensium Lyceo Historiæ Ecclesiasticæ Professore, nunc vero apud Clivenses Mysteriorum cælestium Præconem, summis in Theologica doctrina honoribus condecoravit. Successit ei in cathedra Vir Consult. *Joannes Alex. Guin. Pagenstecherus*, Juris, ut diximus, in hac Academia Professor Ordinarius, eandemque, sed Juris utriusque, lauream *Joanni Alterbosio*, Elberfeldensi, Dynastiarum Muhlendonciæ & Horstchenii in Juliacensi tractu Judici, post habitam pridem dissertationem inauguralem, contulit aditanti. Quo peracto secutus est Vir Experient. *Joannes Gottlob Leidenfrostius*, Medicinæ Professor Ordinarius, habitaque ex eodem umbone solenni Præfatione sex salutaris suæ scientiæ & ejus honorum Candidatos omnes præsentis stitit, eosdemque in superiorem cathedram arcessitos iis, quas petebant, laureis, post editum defensumque pridem ab unoquoque doctrinæ suæ specimen, mastravit. Erant vero illi omnes eo honore digni: *Joannes Georgius Schultzius*, Altenaviensis, aliquot annorum praxi jam cognitus; *Joannes Gulielmus Chevallierius*, Mulhemii prope Rhuram natus; *Joannes Fabricius*, Meursensis; *Joannes Christianus Schultzius*, Altenaviensis Guestphalus; *Nicolaus Casparus Saalmannus*, Breckerfelda Marcanus, ac postremo *Ernestus Henricus Davidis*, Tremoniensis. His sex omnibus, quod petierant, adeptis, protinus in Cathedram processit Vir Celeberr. *Joannes Jacobus Schillingius*, Matheseos ac Philosophiæ Professor Ordinarius, suaque Oratione similiter in compendium redacta quatuor Viris doctissimis, duobus nempe præsentibus, *Christophoro Alberto Eichelbergio*, Gymnasii Vefaliensis Moderatori, Viro Scriptis claro, & *Joanni Philippo Schneidero*, apud Herbornenses jam per aliquot annos philosophicas disciplinas professo, totidemque absentibus, *Henrico Christiano Schütte*, Medicinæ apud Clivenses Doctore, & *Christophoro Melchiori Schmidbauero*, Noribergenti, Rev. Min. Candidato, supremos in Philosophia honores concessit. Toto multiplici actu sic ad finem perducto, Vir doctissimus modo memoratus *Eichelbergius* omnibus his tandem ceremoniis brevi sermone coronidem imposuit. Ego vero tertii hujus diei actorum narrationem tanto magis in compendium redegei, quanto minus in talibus novi contingit, aut aliquid ejusmodi, quod non singulis annis sæ-

pissime videamus iteratum, si solam modo hominum tanto studio & aviditate confluentium frequentiam excipiamus. A meridie tam Procerum præcipuorum, quam Professorum cætus universus, cum aliis non paucis utriusque sexus honoratioribus, ad epulas vocatus splendideque exceptus est eorum sumptibus, qui novorum honorum participes erant redditi. Quarto tandem die, cum advesperavisset, singularis ignium missilium Artifex operam suam sponte deferens, & ad augendam varii generis oblectationum multitudinem receptus, etiam globis sagittisque suis pyrobolaribus, aliisque figuris eadem materia constantibus, omnium aviditatem provocavit, omnium meruit admirationem, tanto majori cum applausu, quanto minori cum periculo metuque res tota ad finem fuit perducta. Nihil superest, nisi ut hanc nobis injunctam totius Festi secularis narrationem votis precibusque ad verum unicumque Deum fuis concludamus; quæ, pro more veterum Romanorum propter ludos seculares peractos suis, ut rebantur, immortalibus Diis, Apollini inprimis ac Dianæ, carmine gratulantium, in sequentem Odam redigemus, hoc præsertim tam memorabili, dum hæc scribimus, tempore, nostris quidem vicinisque regionibus, quod divina misericordia perpetuum esse jubeat, non illætabili, multis tamen aliis ob horribiles terræ motus & aquarum inundationes tristi ac calamitoso. Age igitur, quisquis es, Lector benevole, sic mecum precare simul ac vove.

### CARMEN SECULARE.

**P**ræpotens mundi Stator, atque Custos  
 Omnis hunc totum generis per orbem,  
 Terminos fixâ sibi destinatos  
 Sede colentis:

Quo laborantes tremuere terræ  
 Nuper irato, tremuere diris  
 Hinc & hinc undis tumefacta magni  
 Tempa profundi.

Horret infelix plaga Lusitani,  
 Pene disruptis barathri cavernis:  
 Stans Olyssippo violenter una  
 Concidit hora.

Qui:

Quique Pactolo prius, aut Hydaspī  
 Dives, aut Hermo nihil inidebat,  
 Præferens Bactris & utrique dudum  
 Se Tagus Indo,

Questus immiffæ sibi luctuosos  
 Tethyos sævæ fremitus, trucemque  
 Totius vultum maris, inquilinos  
 Luget egentes.

Hispali Bætis rabiem, supremas  
 Urbibus strages reliquis Iberus,  
 Ima Telluris quatiente motu,  
 Vimque parabat.

Nemini cautas timuere, fundo  
 Pene subducto, per aquam natantis  
 Ultimæ Gades populi ruinas,  
 Ultima Calpe.

Sensit horrendos Abyle fragores:  
 Cantaber sensit metuens revulsos  
 Litoris curvi scopulos, nigrique  
 Verbera ponti.

Astur effosso sitienter auro  
 Concolor montes in humum volutos,  
 Et superjectas trepidus fodinis  
 Palluit arces.

Quid, quod Europæ Libyæque cuncta  
 Perculit terror, neque Tingitanam  
 Vidit expertem titubante cano  
 Maurus Atlante?

Non pares unquam peperit Vesevus  
 Mugiens clades: paribus nec olim  
 Bruttias urbes Siculo revulfit  
 Ætna Peloro.

Tu tuæ nobis, Pater alme, præbens  
 Mille clementis monumenta dextræ,  
 Tale nil quicquam meritos tulisti  
 Vivere tutos.

Quas tibi grates, tibi quas canemus  
 Debita moti pietate laudes?  
 Possè credemus tibi quo Parenti  
 Ture litari?

Nos tot afflictis miserè per orbem  
 Gentibus compar levitate turba,  
 Forfan & pejor, nec adhuc sub ipso  
 Sana reatu?

Proderunt census nihil hic Sabæi:  
 Nil frequentantes Arabum liquores  
 Suavis halatum cumuli per aras:  
 Nil bovis exta;

Quidquid & lætæ pecudis per herbas  
 Amne Clitumnus, vitreusque lotum  
 Mincius vidit, per aprica quicquid  
 Rura Galefus.

Castra deterfis tibi cespitantum  
 Sordibus semper placuere corda,  
 Si pedi rectæ modò trita rursus  
 Compita vitæ:

Nos tot indignos bona si potitos  
 Voce non tantum labiis natante,  
 Corde sed fracto, sed agente sursum  
 Mente fatemur.

Luce terrenos superante visus  
 Vivis immensus; sed adire Christum  
 Phosphorum mandas, & amare lucem,  
 Nocte fugata.

Patre

Patre te miti, Duce te benigno,  
 Jam per annorum spatiosa centum  
 Teutoburgensi cecinere luco \*  
 Tempora Musæ.

Nec diu, Mavors iterata quamvis  
 Tela vibraret, potuit morari  
 Cæpta Parnasi semel hic locatis  
 Orgia Nymphis.

Rora cum Rheno gracilis marito  
 Vidit hic junctis Dryadum Napæis  
 Rite saltantum tot utramque præter  
 Agmina ripam.

Ipsè ducebat pater, ipsè Pæan,  
 Barbiton pulsans hilares choreas,  
 Verna vicinæ referente Majo  
 Gaudia silvæ.

Artibus sacris sua laus, suumque  
 Constitit nunquam decus imminutum:  
 Constitit vivax & in omne virtus  
 Nobilis ævum.

Se per humanæ Sophiæ vireta,  
 Perque divinæ, docilis Juventus  
 Sivit ad laudes & honesta recto  
 Tramite duci.

Se

---

\* Quamvis saltum vel silvam Teutoburgensem, ubi Arminius olim Quintilium Varum ad internecionem usque cecidit, longius hinc remotam cum illustrissimo Ferdinando Fürstenbergio, Monasteriensium Præsule, & Ern. Casim. Wasserbachio, in Dissertatione hic olim Duisburgi 1686. edita, statuamus, est tamen revera, huic Urbi vicina silva amœnissima, & longe lateque celebrata, qua non libenter careremus. In ejus recessibus o quoties gavisi sumus, videntes tot divinæ benignitatis vestigia à nullo mortalium satis agnita, à nullo satis agnoscenda!

Se finat Tempe per amœna posthac  
 Impedimentis eadem remotis,  
 Da DEus, duci, DEus o, bonorum  
 Fons & origo.

Quos juvat clamor cupidos protervæ  
 Per Camœnarum pia castra rixæ,  
 Vilis incultos retinere mores  
 Plebis omittant.

Barbaros non hic Corybantas armant  
 Sæva turrîtæ sacra Dindymenes,  
 Dum movent mentem geminata diris  
 Ritibus æra.

Hic procul Thracum feritate comis  
 Attico regnat Gravitas lepore,  
 Qui Cleanthæ bene jacta spiret  
 Semina frugis.

Glandibus pasci cupiat ferinis  
 Arcadum proles: Solyme det omni,  
 Det dapes Hellas Latiumque nostræ  
 Gentis alumno.

Vulgus hinc cesset procul o profanum,  
 Plebs verecundis aliena Sacris  
 Phocidos castæ, mera plebs, inerti  
 Dedita ventri:

Quamlibet centum veteres adornent  
 Atrium ceræ clypeis refulgens.  
 Nullus hic lixis locus est, vacerris  
 Nullus ineptis.

Hic fumus docti, fumus elegantes,  
 Si fumus digni titulo, nec ulla  
 Sorde nutrimur, vel inerte luxu  
 Perdimus ævum.

Quoque sit major Gregis altiorque  
 Dignitas puros latices bibentis,  
 Pura carpentis thyma, quæque nullus  
     Spurcet oleto,

Sint Duces ipsi sine turpis umbra  
 Labis: austero facilem Catoni  
 Lælium jungant, feritatis hostes,  
     Pacis amici.

Verba nil profunt, meliora nostris  
 Quæ tot Arpinas, tot Apollinari  
 Fudit Andinus sale tincta: folis  
     Creditur actis.

Si viros multum juvat esse doctos,  
 Plus juvet, vulgo nucibus relictis,  
 Esse prudentes, Sapientiæque  
     Nectare pastos.

Digna res cælo, rabulisque major,  
 Vatibus, mystis, ducibus, sophisque,  
 Christianismus, nova ni gelatos  
     Flamma perurat:

Flamma, quæ sacro stipulas inanes  
 Igne consumens, & Apostolorum  
 Confidens linguis animat vigore  
     Pectus & ora:

Nec tuæ frontis, Pharisæe, rugas,  
 Inverecundam neque Sadducæi,  
 Sed viri lustrans placidi modestam  
     Lumine mentem.

Ite plebeji, procul ite, Fastus:  
 Livor i vecors, sibi commodando  
 Luridum spargens, aliis nocendo,  
     Virus Echidnæ.

D

Com.

Compotes Artis docilesque paucos,  
 Judices Artis sed adesse multos, \*  
 Improbæ dos est ab Apelle risæ  
 Congrua turbæ.

Pejus est stulto nihil erudito.  
 Mite cœlestis vitiis repurgat  
 Veritas pectus, sacra Nympha, regum  
 Stemmata major.

Hanc petant omnes juvenes fenesque  
 Mentis insigni recalentis œstro,  
 Quotquot inscribi cupiunt Minervæ  
 Nomina peplo.

Sic novi centum peragantur anni  
 Teutoburgensi faciles Lyceo,  
 Dum sacra Numen benedicit ipsum  
 Cœlitus Ædi.

Artibus, juncta pietate, pulcris  
 Pectorum ditet novus arva cultus,  
 Et propagentur meliora lapsis  
 Secula seclis.

Lima Claubergî peracuta scabro  
 Quælibet rursus poliat remoto,  
 Sit licet dispar methodus: disertis  
 Lima Cranenî.

Hundios, veri nova, redde, fulcra,  
 Fuchsius comi gravitate claros,  
 Mente Feltmannos avida tuendi  
 Jura docentum:

Græ-

---

\* Alluditor ad Inscriptionem exteriori portæ Academiæ Duisburgensis majoribus literis deauratis Anno cld lxxvii. additam, ac nuper renovatam: NATURA MULTOS FECIT JUDICES, PAUCOS ARTIFICES. Sententiâ ob veritatem velut è tripode profecta!

Grævios fama, pietate sanctos  
 Redde Mastrichtos, DEus, & capaces  
 Artis Henninos, neque Zoilorum

Dicta morantes:

Tollios laudem meritos tot orsis,  
 Et Theoninis sine mente rosos  
 Dentibus turbæ sibi vindicantis

Jura licenter:

Candidæ prisco fidei tenaces  
 More Mensingas, facilisque vitæ  
 Brandios cultu bona posterorum

Verba merentes:

Quicquid & vere nitidum piumve,  
 Moribus cultum, variaque præstans  
 Dote tot quondam celebrata nostris

Lustra tulerunt.

Regis Astræam revocantis ardor  
 Mentis accendat studio minores:  
 Orphanis tutum viduisque constet

Semper asylum.

Vile Fucorum genus abdicetur:  
 Simplici regnet sacer ore Candor:  
 Vera, quæ vulgo periire, dentur

Nomina rebus.

Non petat causas malefanus omnes  
 Semper in nexu serieque rerum,  
 Cui placet cortex, pueros juvante

Digna triumpho.

O nuces omni vacuæ medulla!  
 Plausus o vecors! gregis o superbi  
 Densa caligo! Manus est ubique

Numinis alti.

Numen in cælo dare jura præfens,  
 Numen in terra: superesse tempus  
 Alterum: larvis semel abstinendum,  
 Pectora credant.

Sit pudor, cæcos & adhinniente  
 Turpibus nugis levitate fractos,  
 Quamlibet tandem trepidos ad umbram,  
 Dicere fortes. \*

Fortis est, qui nil metuit cupitve:  
 Fortis est Æqui rigidus fatelles:  
 Teste qui cælo sibi victor ipsi  
 Vivit & ultor.

Sit DEI Nomen venerationi:  
 Nesciens Regnum tenebras propinquet:  
 Sacra sit terræ, velut una cælo,  
 Norma Voluntas.

Nulla prorumpens Phlegethonte tabes  
 Incubet terris: elementa lætos  
 Præbeant vultus: fera classicorum  
 Murmura cessent.

Posterius cantus validos Wichofi  
 Vatis affirment habuisse pondus,  
 Sacra quos summi Jovis æviternum  
 Diphthera fervet.

\* Vulgo, sed κατ' ἀντίφρασιν, *Esprit forts.*



*PROGRAMMA,*  
quo,  
REGNANTE  
INVICTO BORUSSORVM MONARCHA  
**FRIDERICO II.**  
DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO,  
**ACADEMIÆ**  
**DVISBURGENSIS**  
**SACRA SECVLARIA**

DIE XIV. OCTOBRIS ANNO clcc lccc lv.  
RECTORE MAGNIFICO  
*VIRO AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO*  
JO. ALEXAND. GVIN. PAGENSTECHERO,  
JVRIS ANTECESSORE CLARISSIMO,  
*CELEBRANDA*  
NOMINE ET DECRETO

**SENATVS ACADEMICI**  
INDICIT,  
SIMVLQVE  
*DE PRÆSTANTIA SCRIPTORVM*  
IN  
CONSERVANDIS HOMINVM RERVMQVE  
MEMORIIS

*AD LOCVM HORATII LIB. IV. ODA VIII.*  
MEMORABILI EMENDATIONE RESTITVTVM ET NVNC  
NOVIS EMENDATIONVM EXEMPLIS ILLVSTRATVM  
DISSERIT

**JOANNES HILDEBRANDVS WITTHOF,**  
HISTORIARVM, ELOQVENTIÆ ET GRÆCÆ LINGVÆ  
PROFESSOR ORDINARIVS.



**O**mnibus animantibus ab ipsa Natura datum est, ut se conservare, quemvis autem interitum, quantum in ipsis est, diligenter evitare studeant. Homini præsertim, omnium eorum, quæ admirandâ supremi Numinis sapientia & bonitate, ut in his terris versarentur, producta fuerunt, principi, illud insitum fuit, ut omni impetu, votis omnibus ac desiderijs ad æternitatem feratur talemque conditionem, ubi interitus & abolitionis expers perpetuo vivat; idque tanto justius rectiusque, quanto magis constat, eum juxta sapientissimi Creatoris sui imaginem conditum, & ad ipsam quoque æternitatem creatum fuisse. Non animam, non corpus, non ipsam sui memoriam inter homines, donec in terris vivitur, aboleri cupit. Et quamvis non ignoret, experientia quotidiana illud satis inculcante, brevi futurum esse, si temporis hujus comparatio cum æternitate instituatur, ut artissimum hoc vinculum, quo anima cum corpore ligatur, iterum dissolvi debeat, hoc tamen solatio se erigit, animam, divinæ auræ particulam, nullis vicissitudinibus, nulli metæ & exitio obnoxiam esse, corporis autem labefacti & in cinerem dilapsi pulvisculos etiam minimos adeo non aboleri penitus ac perdi, ut ejusdem omnipotentis Creatoris imperio tandem recolligi, iisque domicilium vetus instaurari debeat, idem simul & alterum,

terum, hoc est, non luteum amplius ac fragile, sed idem tamen novo splendore perfusum & ita lustratum, ut nihil exitii deinceps iterum metuendum habeat; quod prior hospes, Mens æternitatis capax, velut templum quoddam virtuti suæ conveniens inhabitare possit. Non immerito memorabile aliquod Senatus Populique Antverpiensis dictum celebratur. Cum ante aliquot secula in Belgio vicino tunc inprimis florente consuetudo esset, ut Civitates sibi quotannis notabilem quandam quæstionem invicem mitterent, cujus illa solutio, quæ omnium dexterrima ac verissima videretur, præmium tali laudi destinatum referret; cumque aliquando quæsitum esset, quodnam præcipuum hominis in hac terra viventis solatium dici mereretur, Antverpienses responderant, spem de futura corporum resurrectione inter res omnes homini jucundas consolationis esse plenissimam. Facile hujus responsi causa intelligitur. Nisi enim ea speranda foret, corpori humano penitus intereundum, certe omnis cogitatio deponenda esset, qua his oculis, huic vultui, sed jam lustrato & glorificato, futuræ inter cælestium Geniorum choros felicitatis consortium promittitur. Ex eodem æternitatis desiderio fluit, cur homines in ipsa etiam terra se post obitum conservare studeant, eamque sæpe curam & sollicitudinem tam ad ipsum corpus, quam ad animum extendant. Quis enim ignorat, ut cetera multo plura ac minora hujus desiderii indicia prætereamus, quanta olim diligentia Ægyptii aliique populi artem condiendi corpora, eaque ab omni putredinis periculo liberandi, reperire & exercere conati fuerint? Gloriæ vero suæ & benefactorum memoriam ad Animi dotes pertinentium, adeo obliterari & aboleri nolebant, ut quævis potius subsidia adhibenda crederent, ad eam inter homines usque ad finem mundi in his terris conservandam.

Hinc enim, ut omnis interitus, si fieri posset, expers illa redderetur, monumenta pretiosissima ex ære & marmore construenda curarunt. Artemisia Cariæ regina, ut perennem carissimo conjugii Mausolo memoriam acquireret, eamque in omnem ævum propagaret, tale ei monumentum molita fuit, quale propter præstantiam, firmitatem & amplitudinem inter septem illa decantata veteris Mundi miracula recenseri potuit. Eandem nominis & gloriæ suæ memoriam antiquissimis Ægypti Regibus stupendarum Pyramidum conditoribus curæ cordique fuisse, veterum scriptorum testimonia nos dubitare non sinunt. Qualia tanquam inania, & continuandæ in æternum memoriæ non satis apta cum Philosophi nonnulli non modo irriderent, sed simulata etiam

etiam modestia quadam ulterius pergentes de omni gloria contemnenda commentarios scriberent, vicissim à Cicerone non obscure irrisi sunt, quod in iis ipsis libris, quos de contemnenda gloria scripserant, nihil nisi gloriam, qua nominis sui memoria extenderetur, ipsi quæfivissent. Intelligebat nimirum Vir sapientissimus, nihil in orbe terrarum reperiri, quo certior ac diuturnior rerum gestarum memoria conservaretur, quam Scripta, sive illa ligato sive soluto sermone confecta essent. Et sane soli literarum apices licet in tenuissimis membranis, aut alia quadam materia exarati, & sic ad posteros translati, illud efficere solent, quod nulla metalla, quantumvis pretiosissima ac durissima, non aurum, non argentum, non æs, non saxa & lapides unquam præstare potuerunt. Quæliacunque sibi monumenta, quascunque statuas ex ære fabricatas vetusti heroes erexerint, omnia illa temporis sæpe non admodum diuturni injuria ita destructa & deleta fuerunt, ut talia unquam extitisse, tales etiam homines vixisse, quibus hujusmodi monumenta consecrata fuerint, penitus ignoraremus, nisi in solis libris, in solis, inquam, literarum monumentis eorum vestigia cum utrorumque mentione ac memoria superessent. Domitianus Imperator insignem statuam equestrem sibi erigendam curaverat, velut domitæ, sicut gloriabatur, Germaniæ nostræ monumentum. Equus ipse caput Rheni nobis vicini, velut grandævi cujusdam & cannis annisque obsiti senis, superbissimis pedibus conculcabat, ut reverentia civibus, terror hostibus injiceretur, parva autem magnitudinis & bellicæ virtutis fama tanto diuturnior foret. Sed totum hoc monumentum, sicut alia per orbem terrarum innumerabilia, dudum interiit. In solis Papinii Statii filvis, id est, in solis tanti Poætæ scriptis illud etiamnum conspicitur. Accedit deinde alterum, quo Literarum ac Librorum utilitas atque præstantia præ aliis monumentis ex quocunque metallo ac materia confectis immane quantum evchitur. \* Hæc enim

\* Cogitationes non dissimiles de omnigenis Veterum monumentis tam marmoreis æreisque, quam chartaceis olim obverfatas fuisse video *Mattbie Nerbeno*, Ultrajectino ac postea Herbornensi Theologo, & *Bernardo Albino*, Medico celeberrimo Lugdunensi, illi quidem in Monumento honoris & gratitudinis erecto Johanni Conrado Causenio, pag. 10. 11. 61. 64. & 65. huic vero in Oratione in obitum Joh. Jacobi Ravii, pag. 5. Sed jam ante aliquot millia annorum non aliter judicasse *Isocratem*, ejus egregia mireque huc facientia verba ostendunt in Evagora, non procul à fine, pag. m. 402. Ἐγὼ δ' ὦ Νικοκλέης, inquit, ἠγῶμαι, καλὰ μὲν εἶναι μνημῆια, καὶ τὰς τῶν σωμάτων εἰκόνας, πολὺ μὲντοι πλείονος ἀξίας τὰς τῶν πράξεων

enim quamvis ex durissimo ære vel lapidibus consent, unico tamen in loco tantum, quo erecta fuerunt, non pluribus conspici, & spectatori memoriam ejus, quem designant, refricare possunt; cum è contrario Scripta paulatim per totum terrarum orbem diffusa, & cum iis gestorum mirabilium ac meritorum laudes non artioribus sæpe limitibus, quam Solis ac Lunæ cursus, contineantur. Non immerito itaque Venusinus Poëta gloriatur, æternitatem eorum, quæ literarum ope memoriæ produntur, considerans, se monumentum omni ære perennius & ipsarum pyramidum regali situ altius exegisse, quod nec imber edax, nec impotens aquilo, aut innumerabilis series annorum diruere queat. Nec vanum Vatem hac quoque in parte eum fuisse, ipse eventus demonstravit. Hac ope tam sui ipsius memoriam, quam omnium aliorum, quorum laudes complexus est, propagavit. Idem de ceterorum scriptis tanto verius justiusque censendum est, quanto accuratius conservandis rerum ac hominum memoriis impenduntur. Tantum abest, ut statuæ & imagines, ut ærea & marmorea signa, & quæcunque ad comparandam immortalitatem ab hominibus excogitata fuerunt multo plura, cum librorum & inprimis historicorum monumentis comparari queant, ut illa ab his ipsis æternam sui memoriam, quam aliis frustra pollicentur, exspectare cogantur, alioquin, ut mille casibus obnoxia & intra statuti temporis angustias certissime peritura, ita perpetuæ oblivioni tradenda. Locus extat memorabilis ejusdem paulo ante nominati Venusini Poëtæ HORATII, quo hæc non minus Scriptorum quorumvis aliorum, quæ genium habent, quam Carminum mirifica in conservandis & perpetuandis præteritorum laudibus præstantia declaratur. Is vero cum præter ingens ulcus, quod jam à nonnullis animadversum frustra tentatum fuit, quatuor aut quinque aliis vulneribus hætenus ne quidem obsei vatis visisque, multo minus sanatis, deformatur, operæ nos pretium facturos arbitramur, si tandem aliquando his omnibus quoque mederi conemur, idque tanto opportunius, quanto magis aliquot hebdomadibus jam præterlapsis varias insignes & prorsus immedicabiles mendas ex pulcher-

E

rimo

καὶ τῆς διανοίας, ἃς ἐν τοῖς λόγοις ἂν τις μόνον τοῖς τεχνικῶς ἔχουσι θεωρήσει. Προκρίνω δὲ ταύτας, πρῶτον μὲν εἰδὼς τὰς καλὰς καὶ ἀγαθὰς τῶν ἀνδρῶν ἔχ ἕτως ἐπὶ τῷ κάλλει σώματος σεμνυνομένης, ὡς ἐπὶ τοῖς ἔργοις, καὶ τῇ μνήμῃ φιλοτιμυμένης. Ἐπειδ' ὅτι τὰς μὲν τύπας ἀναγκάσιον παρὰ τῆτοις ἔπει μόνον, παρ' οἷς ἂν σαθῶσι, τὰς δὲ λόγους ἐξετεχθῆναι, κ. τ. λ.

rimum hoc corpore in publicis Observationibus, quavis hebdomade heic in lucem edi solitis, abigere studuimus. Verba Poëtæ reperiuntur Libro IV. Oda VIII. ubi non procul ab initio hæc ad Censorinum scripta leguntur:

*Gaudes carminibus: carmina possumus  
Donare, et pretium dicere muneri.  
Non incisa notis marmora publicis,  
Per quæ spiritus & vita redit bonis  
Post mortem ducibus, non celeres fugæ,  
Rejectæque retrorsum Hannibalis minæ:  
Non incendia Carthaginis impie,  
Ejus qui domita nomen ab Africa  
Lucratus rediit, clavius indicant  
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque  
Si chartæ fileant, quod bene feceris,  
Mercedem tuleris.*

Vides, quam vere & facunde egregius hic vates omnium scriptorum præstantiam & utilitatem super quæcunque alia marmorea monumenta prædicet. Sed dolendum est, tot nævis & vulneribus integrum fere hunc locum per Librariorum incuriam & interpolatorum infandam temeritatem inquinatum esse. Solum posterius facinus à nonnullis Viris doctis quidem animadversum, sed tamen hætenus à nemine correctum fuit. Quæ hic de incendio Carthaginis leguntur, adeo absurda & intempestiva sunt, ut, si ab ipso Auctore profecta fuissent, ignorantiam plus quam puerilem, & ne tyroni quidem possibilem ostenderent. Cum enim *Calabræ Pierides* nihil hic aliud quam Ennii vetustissimi Poëtæ Scripta significent, Ennius autem Scipionis Africani Majoris tempore vixerit, & in ejusdem tumulo sepultus fuerit, quo pacto sine summa & incredibili absurditate dici potest, marmorea monumenta non clarius indicare laudes ejus Scipionis Africani Majoris & inter eas quoque *incendia Carthaginis*, quam Ennii Scripta? Nonne vel pueris nondum ære se lavantibus notum est, Carthaginem non ab Africano Majore, sed diu post ejus Enniique mortem ab Africano Minore incensam, deletam, & solo æquatam fuisse? Adeo hæc absurditas Clar. Bentlejum transversum egit, ut totum hunc versum velut spurium instar ipsius Carthaginis delendum censuerit. Tantam enim vel scribendi incuriam vel ignorantiam ipsi Flacco tribuere, ut Chabotius & Dacierius fecerant, prorsus absurdum ac pene impium videbatur. Alexander Cuningamius & Petrus Burmannus quomodo tanto malo succurrere voluerint, ille mutatione levissima sed inepta, hic explicatione vana & inutili, alibi jam publico scripto docuimus. Antequam

tequam

tequam vero fatale hoc ulcus hic tollamus, videamus etiam præcedentia, nec à nobis antea, nec à quoquam alio animadversa. Altero versu hæc verba & *pretium dicere muneri* nullum habent sensum intentioni Poëtæ & huic loco convenientem; qui nec vendere alicui sua carmina, dono, ut vides, danda, volebat, nec etiam hanc artem eum in finem exercebat, ut Poëtices laudes & pretium eveheret. Hic obiter tantum & occasione sic exigente ostendit, quanta sit Carminum efficacia ac dignitas. Mox sequuntur alia longe absurdiora, similiter à nullo mortaliū notata. Horatius manifeste comparationem inter Scripta chartacea, & Monumenta ex marmore confecta instituit. Utrisque magnorum Virorum res gestæ prædicantur, & posteritati innotescunt. Sed Horatius contendit, eas res gestas non Marmorum notis clarius indicari, quam chartarum literis. Est itaque hic & esse debet inter marmora & chartas oppositio; nequaquam vero inter marmora & res gestas. Res gestæ æque marmoribus celebrari debebant, quam chartis, libris & literis. Quid? nondum vides, omnia illa non *celeris fugæ*, porro *Rejectæque r. H. minæ: Non incendia Carthaginis*, longe absurdissima esse? Sunt enim res gestæ Scipionis Africani Majoris, tam marmoribus incisæ, quam carminibus celebratæ. O incredibiles ineptias, ante mille pluresque annos introductas! Solus Jacobi Cruquii vetus Scholiastes hic aliquid incommodi sentiens voci *fugæ* instar glossæ vocem *sculptæ* addiderat. Et sane si tale aliquid ab Horatio additum fuisset, aut extrinsecus sine ridiculo conatu subintelligi posset, aliqua pars absurditatis sublata videretur. Sed vana sunt omnia, & quæ de incendio Carthaginis sequuntur, adeo intolerabilia, ut satis evincant, integrum hunc locum scæde à Librariis corruptum, & adhuc scædius ab interpolatorum infelicibus ac impurissimis manibus conspurcatum fuisse. In Mss. Codicibus nihil prorsus solatii est, nisi quod multi eorum versu altero non *muneri*, sed, ut antea semper editum fuit, *muneris* habeant; quod revocandum, totus autem hic locus sic unice, sic (absit invidia!) capitaliter & præclare emendandus, atque primævæ suæ integritati restituendus est:

*Gaudes carminibus: carmina possumus  
 Donare: est pretium nec leve muneris.  
 Non incisa notis marmora publicis,  
 Per quæ spiritus & vita redit bonis  
 Post mortem ducibus, seu celebrent fugas,  
 Rejectasque retrosum Hannibalis minas,  
 Seu discrimina Carthaginis impie,  
 Ejus, qui domita nomen ab Africa  
 Lucratus rediit, clarius indicant  
 Laudes, quam Calabræ Pierides. &c.*

Hanc

Hanc verissimam & unicam ab ipso Horatio profectam olim totius loci scripturam fuisse contendo. Non vacat hic late ostendere, quomodo genuinae lectionis hujus vestigia adhuc ubique deprehendantur, quae per se satis apparent. Jam millies alibi talia inculcavimus. *Discrimina Carthagini* ex hoc loco ipse Valerius Flaccus ante oculos habuit, cum Argonaut. Lib. II. & §79. imitando scriberet, *miseræ flebant discrimina Troja.* \*\* Hæc vox accuratissime miserrimum & in extremo periculo versantem tum Carthaginiis statum exprimit, cum Scipio Africanus Major commisso fatali & decretorio praelio in ipsa Africa ante portas quasi Carthaginiis cum Hannibale pugnaret, eumque vinceret. Ab eo enim praelio Carthaginiis felicitas & dominatus dependebant, quæ deinceps magis magisque decreverunt, donec demum in tertio bello Punico ab alio longe Scipione, nempe

\*\* Est hoc ex illo argumentorum genere, quo nullum certius ac præstantius ob ipsam antiquitatem dari potest; in quo illustrando, & deinceps tam multis desperatorum locorum millibus funditus ac vere emendandis adhibendo inprimis industriam ac patientiam olim exercui, consultis simul, ne nescias, semper & ubique Mss. Codicum & variarum Lectionum vestigiis, (utendi enim, non nugandi causa hæc à tot bonis Viris collectæ sunt) mirifico, ut auguror, cum successu, ut ostenderem, quam ipsi Veteres se omni tempore clam palamve identidem verbis & sententiis imitati fuerint. Infinitus quidem hic labor fuit omnes Scriptores veteres ita relegendi, ut semper recordaremur, quid simile proximi Scriptores ex precedentibus hausissent. Sed jucunditas, utilitas & certitudo rei omnes molestias mitigabat. Ex Ennio multa sumpsisse Virgilium, quis dubitet? ipse fatebatur, ut in ejus vita legitur, se ex stercore Ennii aurum legere. Virgilii multa imitati fuerunt Statius, Silius, Valerius Flaccus, aliique plurimi. Ex Lucretio non pauca derivavit Horatius, ne de Græcis loquamur; ex Horatio vicissim innumerabiles flosculos decerpserunt Statius in Silvis, ac ceteris etiam Operibus, Silius, Persius, Juvenalis, item Semonicus, Seneca Tragicus, Prudentius, ac præter reliquos multos inprimis quoque Valerius Flaccus; quæ ultima observatio hic memorata facit, ut, ad evincendam rei veritatem, eam paucis adhuc exemplis illustrem, ostendamque, quam loca verè innumera hactenus vel pessime tractata vel pro desperatis habita primavæ integritati penitus restitui possint. Vel unica Oda HORATII XXXVII. Libri I. qua victoria Caesaris Augusti de Cleopatra cantatur, id nunc firmabit, ex qua illum à Viris doctis ac inprimis à Cel. Bentejo vexatissimum locum §. 9. sic vere emendandum esse alibi jam dudum monuimus:

*Contaminato cum grege turpium  
Morbo Syrorum, quilibet impotens  
Sperare, fortunaque dulci  
Ebria:*

ubi nunc ineptissime ac turpiter *Vivorum* legitur, Bentejus autem intolerabilia tentabat. Docui tum, Antonium & Cleopatram maxime Syros in sua classe habuisse, quod omnes veteres testantur, & inprimis Florus Lib. IV. Cap. 10. & 11, nec non ipse Virgilius Æn. Lib. VIII. 685. 686. 687. Præterea Græci Romanique Scriptores impuritatem, libidines, vilitatem, scabiem, tumores ad nauseam usque Syris exprobrant. Præter magni Casauboni notata ad Persii Sat. V. p. m. 185. vel solus passim Lampridius in Alexandro Severo consultatur. Medicis ex Aretæo Cappadoce nota sunt *ἔλκτα συριακά καὶ ἀργυπριακά.* Sed longe plura tum notatu digna adduxi, hic non repetenda; uti nec illud, hinc Statium quoque, Sylv. Lib. I. Carm. VI. contemptum Syro-

nempe Æmiliano, seu Africano Minore, incendio deleteretur. Et ne quisquam dubitare possit de veritate hujus adeo insignis ac multiplicis emendationis, ecce eandem plane sententiam ab Auctore verbis paulisper mutatis repetitam Lib. II. Epist. 1. v. 248. *Nec magis expressi vultus per abenea signa, quam per Vatis opus mores animique Virorum Clarorum apparent.* Vides hic iterum sola signa abenea & Scripta vatum sibi invicem opponi, & inter se comparari. Similim m est illud Lib. IV. Oda 2. v. 20. de Pindaro: *Centum potiore signis Munere donat;* id est, carmine encomiastico, quod centum statuis præferendum est ad res gestas celebrandas. Utrisque enim monumentis hoc fit, sed chartaceis melius. Pertinet huc ipsum *Ennii* fragmentum de eodem Scipione Africano Majore, quod non modo Trebellius Pollio in vita Claudii II. Imperat. cap. 7. nobis servavit

D 3

vavit

tum agmina & Lydiarum gregem dixisse, & Tacitum Ann. lib. XV. c. 37. *gregem contaminatorum.* Nova adducam alia. Pergit ibidem continuo **HORATIUS** ita canere:

————— sed minuit furorem  
*Vix una sospes navis ab ignibus:  
 Mentemque lymphatam Mareotico  
 Redegit in veros timores  
 Cæsar, ab Italia volentem  
 Remis adurgens: accipiter velut  
 Molles columbas, aut leporem citus  
 Venator in campis nivalis  
 Æmonia: daret ut catenis  
 Fatale monstrum.*

*Monstrum* ex hoc loco etiam Florus vocavit Cleopatram, & Helenam simili modo *fatale Monstrum* Icanus de Bello Troj. Lib. III. v. 363. Sed locum ipsum Horatii turpiter esse corruptum nullus vidit Commentatorum, etsi multi multa inania de eo dixerint, ut Cruquius *Mareoticum regnum* intelligens, cum *Mareoticum vinum* hic Cleopatraz exprobrari sit certissimum. Sed nota, tales numeros in versu Alcaico nusquam apud Horatium reperiri, ut posterius hemistichium syllabæ defectu laboret. Semper, si quid in priore redundet, initio posterioris eliditur. Ratio metrica & musica sic requirunt. Sic ibidem paulo ante Oda 35. *At vulgus insidum ET meretrix retro;* & mox, *Ebeu cicatricum ET sceleris pudet.* Et sic passim, nunquam aliter. Esse ulcus etiam sequentia indicant. Verba, *Remis adurgens* & quidem *volentem*, sunt non solum insolentia, sed etiam de Cæsare indecora, ac præterea minime vigorem, ut vides, heroicum indicantia. Porro *urgere* millicies, *adurgere* nunquam tali sensu reperies. Accipe locum, sicut ab Horatii manu profectus fuit, & emenda sine ullo scrupulo ita:

————— sed minuit furorem  
*Vix una sospes navis ab ignibus:  
 Mentemque lymphatam ut Mareotico  
 Redegit in veros timores  
 Cæsar, ab Italia volentem  
 Perrexit urgens, accipiter velut  
 Molles columbas, aut leporem citus  
 Venator &c.*

Nihil jam præclarius, aptius & decentius dici potest. Tò ut ob literam *m.* utrinque occurrentem more solito absorptum est; & litera initiali *P.* ommissa ex re-

vavit, sed quod ipse etiam Horatius ante oculos, & in mente habuisse videtur, cum superiora à nobis sic verissime emendata scriberet. Verba Pollionis sunt ista: *Rogo quantum pretium est chryseus in Curia tanta victoria, quantum una aurea statua? Dicit Ennius de Scipione, quantum statuum faciet populus Romanus, quantum columnam, quae res tuas gestas loquatur? Possumus dicere, Flavium Claudium, unicum in terris principem, non columnis, non statuis, sed fama viribus adjuvari.* Sed quid opus est, ulterius soli faciem accendere, aut etiam monere, quam verbum *celebrare* in tali negotio sit Horatio solenne? Confer tamen Lib. I. Od. 7. v. 6. Od. 12. initio; Art. Poët. v. 286. alibique. Porro *nec leve pretium muneris* dicitur, ut apud Ovidium Epist. Heroid. XVIII. 163. preti-

liquis *erexit* sceleratè *remisit* interpolatum fuit. Tò *pergere* ita Horatio aliisque usitatissimum est. Postquam (vel *ut*) inquit, illam vino turbidam confusamque Cleopatram Cæsar in veros timores redegit, non eo contentus fuit, sed perrexit, urgens eam ab Italia volentem. En Silium Ital. qui ita ipse olim in Horatio legit, ut imitando rem & verba ostendit Lib. IV. v. 105. ACCIPITER medio tendens à limine solis *Dilectas Veneri, notasque ab honore Diones* TVRBABAT VIOLENTVS AVES. ——— NEC FINIS SATIASVE; *novi sed sanguinis ardor Gliscere; & VRGEBAT TREPIDAM jam cæde priorum, Incertamque fugæ, penna labente, COLVMBAM.* Per *venatorem* vero hic in Horatio non hominem (villis enim hæc comparatio foret cum Cæsare) sed ipsam Accipitrem intellige, ut additum epitheton *cirus* confirmat. Accipitres autem venari etiam & avehere lepores, monet idem Silius Lib. V. v. 282. 284. loco cum his etiam conferendo. Adde Guntherum in Ligur. Lib. I. v. 677 -- 683. Ceterum ad quædam citati loci Horatiani etiam alludit Juven. Sat. X. v. 185. & Prudentius Catham. Hymn. XI. 91. 92. Mox vero HORATIVS eadem Oda v. 21. de Cleopatra ita pergit:

————— *qua generosus*  
*Perire quærens, nec muliebriter*  
*Expavit ensẽm, nec latentes*  
*Classẽ cita reparavit oras.*

Hujus loci ulcus jam alii fenserunt, emendandi rationem scivit nemo. Quid enim est *oras reparare classẽ*? Quis unquam ita locutus est, pro ire eo, vel se conferre? Fictam Hypallagen, futilem elabendi viam, merito exhibavit Cl. Bentlejus. Is vero magna fiducia legebat *penetravit*; quod Cuningamius quidem merito rejecit, sed ipse in luto hærens. Cl. Lambertus Bos Specim. Emendat. p. 36. *divinat, ire paravit*, numeris inficitissimis, & locutione dura *ire oras pro ad oras*; ne dicam, male hoc convenire celerrimè fugienti. Tò *cita* primo corruptum fuisse nemo notavit. Vox *cirus* paulo ante præcessit. Ortum est quòd *cita* ex cui vel qui, quod mutilum restabat, quia ejus prima syllaba se ita *Classẽ* præcesserat. Emendandum est sine omni controversia una tantum litera voci *reparavit* addita hoc modo:

————— *qua generosus*  
*Perire quærens, nec muliebriter*  
*Expavit ensẽm, nec latentes*  
*Classẽ sequi properavit oras.*

Nil iterum aptius, simulque latinus dici potest. Fontem erroris jam dixi. Nihil elegantius est, quam *sequi* pro ire aliquo, vel se conferre, præsertim, si id sit navibus in mari. Ut hic *sequi properavit*, sic alibi in Horatio habes *properas perdere, properent arcere, properabat lambere* & similia plura. Hunc locum ita

pretium non vile laboris. Sed hæc hæcenus. Talium vero scientiarum & artium mysteria, quibus æterna Heroum ac Principum, nec non rerum laudabiliter gestarum memoria servatur atque propagatur, cum in iis præcipuè sacrosanctis Officinis tractari atque doceri debeant, quas plerumque *Academias* nominare consuevimus, quis earum salutis & conservationi non quævis prospera voveat atque precetur? Non dubitamus itaque, quin omnes, quibus publica salutis curæ cordique est, nobiscum gavisuri sint, si his perillustratis intellexerint, sanctæ hujus Matris nostræ, artium quarumvis & scientiarum Sedis, ante centum annos jam conditæ,

ACA

se legisse in Horatio ostendit Val. Flaccus Lib. I. §. 2. de Argo navi: *Scythici quæ Phœtidis ORAS Ausa SEQUI* &c. uti etiam mox §. 13. illa de Tito Vespasiano scribens, *versa proles tua pandet Idume (Namque potest) SOLYMO NIGRANTEM PVLVERE FRATREM*, in mente habuit illud Horatii Lib. I. Od. 6. *PVLVERE TROICO NIGRVM Merionen;* & eodem Lib. I. §. 683. Valerius verba Horat. Lib. I. Od. III. §. 31. respexit; alibi alia. Usus verbi *sequi* pro tendere aliquo, satis notus est. Vide Burmann. ad Val. Flacci locum paulo ante memoratum; adde præterea, si tanti est, Dukerum ad Flor. Lib. II. Cap. XI. &, quos ille laudat, Gronovium, Heinsium, Grævium. Et quis ignorat illud Virgilii Æn. Lib. V. §. 628. *dum per mare magnum Italiam sequimur fugientem, & volvimur undis.* Hinc etiam, quod nemo vidit, unice restitui debet alter (tædet dicere) desperatus post tot tentamina VIRGILII locus Æn. Lib. IV. §. 256. ubi nunc ita legitur:

*Haud aliter terras inter cælumque volabat  
Litus arenosum Libyæ, ventosque secabat  
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.*

Locum olim pessime fuisse habitum etiam transpositio versuum in Mss. quibusdam ostendit. Merito Bentlejus foedum illud *ὁμοιοτέλευτον volabat, secabat* averfatur; immerito illud excusat Burmannus. Bentlejus *legebas* conjicit pro *volabat*, quam male, præter alia indicat antiquus Poëta Juvenus Presbyter, vel Auctor antiquissimæ Præfationis ex hoc loco colorem sumens, dum canit: *TERRAS INTER amat COELVMQVE VOLARE Joannes.* Quid verò alii, quales sunt Wopkenius, & Auctor ille in Republ. Liter. Ao. 1730. pag. 215. de hoc loco senserint, brevitatis causa prætereo. Vide quid Virgilius scripserit. Legendum est nempe, nihil fere nisi unica litera transposita, hoc modo:

*Haud aliter terras inter cælumque volabat  
Litus arenosum Libyæ ventosque secuta  
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.*

id est, Mercurius, non adverso vento (qualis secari debuisset) sed vento ferente uti malens, eum & litus arenosum Libyæ sequebatur; juxta illud scil. volans & ventos simul eo ferentes sequens, donec veniret, quo tendebat. Nolo hic multis aliorum commenta reprehendere, quorum nulla sunt sine vitio vel rei, vel linguæ, ut facile ostendi posset. Sed, ut tanto magis pateat, quanta comoda tales observationes ferant præcis Scriptoribus, ita sibi mutuum ad emendationes sæpe opem præstantibus, ex innumerabilibus exemplis unico concludam hanc annotationem. VALERIVS FLACCVS Lib. III. §. 229. &c.

*Seruit acerba fremens, tardumque à moenibus agmen  
Increpitat: nunquamne dolor virtute subibit  
Nil ausas sine rege manus? at barbata buxus*

## ACADEMIÆ DUISBURGENSIS SACRA SECVLARIA

proximo die XIV. Octobris anni hujus clō Dec LV. publicis Actibus, & solemnibus Pa-  
negyricis aliisque ritibus tali tempore usurpari solitis in Aede pariter Urbis hujus præci-  
pua sacrosancto Salvatore dedicata, & in Acroaterio Academiae Majori celebranda immi-  
nere. Ad ea vero solennia memorato jam die & proximis quibusdam peragenda no-  
mine & mandato totius

## AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI

quosvis bonarum Artium & Scientiarum Promotores, Patronos, Cultores, indigenas  
& exteros, peramanter & benevole invitamus. Scribendam Duisburgi ad Rhenum,  
die VII. Octobris, Anno clō Dec LV.

*Si vocet, & motis ululantia Dindyma sacris,  
Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos  
Porrigat, & justa sanguis exuberet urna.  
Talibus insultans jam dudum numine divæ  
Deficit: infracti languescunt frigore cursus.*

Horrendum hic ulcus est scelerata interpolatione auctum. Cyzicus rex suos hic  
cives instigat, ut hostes invadant acrius, quos putabat esse Pelasgos, cum reve-  
renter essent amici Argonautæ errore viarum noctu iterum reversi. Cyzicus inter-  
fecerat leonem Cybeles antea, deæ illius parum reverens. Hinc illa clades. Hic  
pergit suos instigare ad cædes, contemptim iterum de sacris Cybeles loquens.  
Sed quid est, *justa sanguis exuberet urna?* quid sibi vult *justa urna?* quis por-  
ro *exuberare sanguinem* de effusione dixit? Præterea num sacerdos Cybeles tela  
porrigens prius ipse sanguine debet madere? Vossius, Grotius & Nic. Heinsius  
*justa* malunt pro *justa*. Sed quid hoc prodest, reliquis non expeditis? Idem  
Heinsius *ulna* pro *urna* malebat, quod Burmannus etiam male in textum rece-  
pit; cum tamen idem Heinsius, ut luxuriat plerumque incertus, etiam *ira* pro  
*urna* divinaret, quasi de sensu securi solas semper literas captare deberemus. Alii  
disputant de quantitate ultimæ syllabæ in *sanguis*; num illa sua natura, an be-  
neficio casuræ producat. Omnia ista hic vana, intempestiva, inutilia sunt.  
Locus hic ita funditus emendandus est:

*Tunc ensis placeatque furor: modo tela sacerdos  
Porrigat, & pulsū geminet crudeliter ara.  
Talibus insultans jam dudum numine divæ  
Deficit: infracti languescunt frigore cursus.*

En emendationem non minus iterum certam, quam capitalem. Pro *justa pulsū*,  
pro *exuberet, crudeliter*, omnibus apicibus iisdem restitimus. Tales voces *sang-*  
*guis, geminas* ob literarum *μετάθεσιν* & abbreviationem millies confundi  
omnes Mss. docent. Sacerdos ille unus erat Corybantum, sacerdotum Cybeles.  
Respexit hæc Horatii verba Lib. I. Od. 16. *Non Dindymene, non adytis quatit*  
*Mentem sacerdotum incola Pythius; Non liber aque, non ACVTA SI GEMI-*  
*NANT CORYBANTES ÆRA.* En argumentum mille Membranis antiquius  
ac certius. Unice hic sensus convenit ac simul elegantissimus est. Sic Val. Flac-  
ci eodem Libro v. 32. *cubilia solis, & v. 84. clamorque tubæque -- juxcere Deum,*  
itidem ex Horatio sunt. Vid. Lib. I. Od. 2. Lib. IV. Od. 15. ne sexcenta simi-  
lia attingam, per totum opus ὀξυδερκέι καὶ πῖνα κριτικῶν ἔχοντι emicantia.

Ἐὐκλ. ) ο ( Ἐὐκλ.

Gedächtn.

Sedächtniß-  
und  
Dank = Predigt

Am 14. Tage des Monaths October im Jahr 1755.

An welchem Tage

Die Königlich-Duisburgische Universität vor hundert  
Jahren auf gnädigsten Befehl

Des weyland

Durchlauchtigsten Fürsten und Herrn,

S I A A K

Friedrich Wilhelms

Des Grossen,

Marggrafen zu Brandenburg, des Heil. Röm. Reichs  
Erz-Cämmerern und Chur-Fürsten, 2c. 2c.

Hochseligst und Ruhmwürdigsten  
Andenkens,

Feyerlichst ist eingeweyhet,

In einer Hochansehnlichen und Volkreichen Versamm-  
lung in der grossen Kirche zu Duisburg auf Veranlassung

Des Academischen SENATS

Gehalten

von

PETRVS JANSSEN,

Der Heil. Schrift Doctor und der Güttes-Gelahrtheit, wie auch der Kirchen-  
Geschichten, ordentlichem Professor daselbst.

Erstausgabe

und

Hand = Gedruckt

Am 14 Tage des Monats October im Jahr 1772

Dr. Heinrich Christianische Universität vor hundert  
Jahren auf angelegten Weg

Der Druck

Verständlichen Schriften und deren

Verzeichniß

Erstausgabe

Der Druck

Verständlichen in verschiedenen, der Welt schon  
bekannt und in Europa und Ostindien, so

Verständlichen und in verschiedenen

Verständlichen

In einer sehr angenehmen und leicht zu verstehenden  
Form in der großen Sprache in Ordnung auf

Der Handwritten SENATS


Druck

Der

PETRAVS JANSEN

Druck des Druckes und der Druckerei, und der Druckerei  
Erstausgabe





Die Gnade unsers HErrn IESu Christi, und die  
Liebe Gtottes, und die Gemeinschaft des Heiligen  
Geistes sey mit uns allen! Amen.

Andächtige, und in IESu Christo unserm HErrn und  
Heylande geliebte und werthgeschätzte Zuhörer.



Heute an diesem Tage sind es 100. Jahre, daß  
hiesige Königliche Universität öffentlich ist eingewey-  
het. Vor der Einweyhung ist von Martinus Hun-  
dius, Professor der hohen Schule, auch Prediger der  
Gemeine Gtottes allhie in Duisburg, von dieser Stel-  
le eine Predigt gehalten, worinn aus dem Prediger Salomon der 9. und  
10. V. des 12. Capitels sind erkläret und auf die damahligen Zeit-Umstän-  
de zugesaget; anbey und hauptsächlich ist der Vater der Lichter, von wels-  
chem

chem alle gute und vollkommene Gaben von oben herabkommen, um seinen Segen über die einzuruehende hohe Schule, und daß der Zweck des Durchlauchtigen Stiflers durch sie mögte erfüllet werden, öffentlich angeruffen.

Wie füglich endlich der Heyland die Worte aus dem LIV. Cap. des Propheten Esaias übernommen, und in den damaligen Umständen auf sich zugeeignet habe, um zu beweisen, daß er die Quelle des Heils und des Lebens seye, der wahre Brunnen Siloah, von GOTT gegeben und gesandt, auf daß alle, die an ihn glauben, nicht verloren gehen, sondern das ewige Leben haben; Das mögen wir insbesonder wegen verfließender Zeit nicht anzeigen. Gnug ist es, daß, da der Vortrag des Heylands so genau mit dem, was bey dem Propheten Esaias war geweissaget, übereinstimmete, ein jeder erkennen konnte und mußte, daß der Heyland Jesus das, was er hie redete, nicht aus ihm selber redete, daß er nichts anders verhieß, als was GOTT selber schon lange vorher verheissen hatte, nichts anders forderte, als was dieselbe göttliche Verheißung mit sich brachte. Dieses diente dazu, um den Heyland an der einen Seite wider den Vorwurf einer eitelen Ruhmräthigkeit zu verwahren, an der andern Seite, dem Unglauben, der sonst seine Einladung bey den Durstigen hätte mögen fruchtlos machen, zu begegnen.

Die Anzeige der Erfüllung soll uns auch nicht aufhalten; weil dieselbe jedermann bekannt seyn muß, der nur gelesen oder gehöret, was in der ersten Kirche der Christen sich hat zugetragen, nach dem der Heyland Jesus zur Rechten der Majestät Gottes in dem Himmel sich gesetzt, und von dannen seinen Geist ausgegossen hat. Womit wir aber die Wirkung des Glaubens auf die Zeit nicht einschräncken. Dieselbe hat durch die folgenden Zeiten durch in unzählbaren, auch ausnehmenden und durchleuchtigen Proben und Beyspielen sich gezeigt und bis auf die heutige Stunde bewähret, und wird fernerhin sich bewähren, so lange auf dem Erdboden Christen werden seyn, die durch den Geist Jesu Christi, durch den Geist der Gnade und des Gebets, durch den Geist des Glaubens, der Liebe und der Dankbarkeit, beseeset und getrieben werden.

\* \* \*

Sehet da, meine andächtigen und werthgeschätzten Zuhörer, die Kraft und den Segen des Glaubens: welchen Segen wir unserer Duisburgischen Universität aus dem innersten Grunde unseres Hergens wünschen, und durch Anpreisung des Glaubens, als der Haupt-Röhre, wodurch dieser Segen ihren Brunnen zustießsen kann, so viel an uns ist, auch durch diese jetzige Rede auszulocken und zu befördern suchen.

Unsere Textes-Worte, welche uns diesen herrlichen Segen ausbilden, waren unserer Betrachtung so viel mehr werth; weil sie den Inhalt des  
gans

ganzen Evangeliums, die Vortreflichkeit des Christlichen Glaubens, das reizende, das herrliche, das göttliche, welches darinn muß bewundert werden, nicht weniger das nützliche, das heylsame, welches die menschliche Gesellschaft aus demselben schöpft, auf eine besonders sinnreiche und lebhaftere Weise uns vor Augen stellen.

Der Sünder hat nichts in und von sich selber, als eine leere, dürre, ausgemergelte, unter dem Zorn Gottes liegende, eine Grund verdorbene und zum Guten erstorbene, eine von allen Creaturen, sie mögen im Himmel oder auf Erde seyn, verlassene und begebene Seele. Hie in dem Evangelio tritt ein Erlöser auf, der aus allem dem Elend und Verderben ihm kann aushelfen, der so bereit, als reich und vermögend, ist, das alles, was dem Sünder mangelt, ihm zu schencken, umsonst und ohne Geld zu schencken, reichlich und übersüßig zu schencken. Wer nur seine leere, seine wüste und verwüstete Seele vor und zu ihm bringt, dem will er zur Weisheit, dem will er zur Gerechtigkeit, dem will er zur Heiligung und zur Erlösung, mit einem Worte, dem will er alles werden. Er will alle seine Begierden befriedigen und erfüllen. Je ärmer, leerer, unwürdiger und Glück-würdiger der Sünder erscheinet, je willkommener er seyn soll. Seine ledigen Gefäße sollen bis zum Überlauffen zu voll gemacht werden.

O! ein köstliches, ein über alle maassen Trost- und Freuden-reiches Evangelium! Wie ist es möglich, mögte man hie billig fragen, wie ist es möglich, daß dieses, eben dieses Evangelium durchgehends so geringgeschäzet, mit einer fast allgemeinen Kalfsinnigkeit und Gleichgültigkeit angehört und gelesen werde? Siehet man sich nach der Quelle dieser erstaunlichen Beringschätzung, dieser unnatürlichen Gleichgültig- und Kalfsinnigkeit gegen dieses Wort der Versöhnung, um: Man wird befinden, daß dieselbe daher entstehe, daß man seinen bekläglichen Zustand, worinn man versunken lieget, daß man die geistliche Jammer-volle Armuth, worinn man stecket, die erschreckliche Gefahr, worinn man schwebet, nicht glaubet, nicht fühlet und empfindet. Man ist in den Eitelkeiten dieser Welt, in den Bollüsten dieses Lebens so versoffen, durch Eigenliebe und Hochmuth so verblindet, daß man, wie ein Truncener, sich selbst nicht kennet, und um die Erhaltung seiner unsterblichen Seele unbekümmert bleibet. Die guten Gedancken, die man von sich selbst heget und nehret, lassen keine Verlegenheit, keine heilsame Unruhe, empor kommen. Diese sind die Gesunden, die des Arztes nicht bedürfen. Und weilen diese ihre Mängel, ihre Dürre und Dürstigkeit, nicht glauben, noch empfinden: ist es denn wohl Wunder, daß sie von Jesus eben nicht viel

Wercks machen, daß sie keinen Durst nach ihm und seiner Gerechtigkeit bey sich gewahr werden?

Aber man gebe mir einen Sünder (erlaubet mir, meine werthgeschätzten Zuhörer, daß ich in dieser ansehnlichen Versammlung, zur Rettung der Ehre unseres Evangeliums, diesen kleinen Ausschweif mache) man gebe mir, sage ich, einen Sünder, dem sein Gewissen ist aufgewachet, der die Vielheit, die Größe, die Schändlichkeit und Schändlichkeit, seiner begangenen Missethaten beginnet einzusehen, der daher das Schwerdt der Rache eines ewigen und allmächtigen Richters wider sich gezücket siehet, und da er nirgends, wo er sich auch hinwendet, Hülfe, nirgend einen Tropfen Trostes findet, von Furcht, Angst und Schrecken dergestalt überfallen und erschüttert wird, daß ihm nun für alles, das zuvor seine Lust und Leben war gewesen, eckele, die spröden und schwindstüchtigen Güter dieser Welt ihm gegen Gottes ewige Gunst und Gnade wie Roth und Dreck vorkommen: Laß einen Sünder in das Gesicht der Größe seines Elends, in das Gefühl seiner Noth und Gefahr, so lebendig und tief eingeführet werden: dem, meyne ich, wird das Evangelium von Jesus und dessen Gerechtigkeit werth und köstlich seyn in seinen Augen; Der, meyne ich, wenn er die Einladung desselben höret und glaubet, wird bald kommen, und gewiß lieber trincken, als in Durst brennen und verbrennen, wollen.

Durch keinen andern Weg, als durch diesen, haben Gottes Kinder bey und in ihrem Jesus ihre Gerechtigkeit, ihr Heyl, ihren Frieden und Vergnügen, gefunden. Das Gesicht und die lebendige Empfindung ihrer gänzlichen Ledigkeit, ihres verzweifelt bösen Zustandes, an der einen, und an der andern Seite die volle, durch das Wort des Evangeliums gezeugte, Überzeugung, daß in Jesus eine unerschöpfliche Quelle des Heyls für alle Heyl-begierigen Sünder offenstehe, haben den Durst nach diesem liebreichen und Liebens-würdigsten Erlöser erwecket, und die darauf folgenden Beschäftigungen des Glaubens bewircket. Und durch denselben Weg kann und muß auch in andern, an deren Heyl wir zu arbeiten haben, der Durst nach der Quelle, woraus wir die Wasser des Lebens geschöpft haben, erregt und ausgelockt werden. Wir sind verpflichtet dieses, so viel an uns ist, zu berwerckstelligen. Unser Glaube, der die Freundlichkeit unsers Erlösers geschmecket, der aus seiner Fülle geschöpft hat, der muß, wosfern er der wahre Glaube seyn soll, kein todter Glaube seyn: er muß kein stummer Glaube seyn. Er ist zwar ein Glaube, der in dem Herzen seinen Grund hat: Man muß ihn aber auch reden

reden hören: Man muß ihn Thaten thun sehen: Er muß in allen Handlungen ausfließen. Vornehmlich muß nach dem Spruch-Buch Salomons Cap. X. 11. Des Gerechten Mund eine lebendige Quelle seyn. Alle Wasser, sagt derselbe weise König in seinem Prediger Buch Cap. I. 7. laufen ins Meer: an den Ort, da sie herfließen, fließen sie wider hin. Unser Mund soll und muß auch überlaufen von dem, was unsere Seelen Gutes von dem Gott unseres Heyls haben empfangen. Durch häufige, so thätlich, als mündliche, Dancksagungen soll und muß der Überfluß, den uns seine Liebe geschencket hat, wiederum zu ihm, seinem Ursprunge, zurückfließen.

Dieses soll und muß insbesondere auch an diesem Tage geschehen auf und von hiesiger Königlichen Universität, die heute ihr erstes Jubiläum, ihren hundertjährigen Geburts-Tag, feyert. Ich habe, meine andächtigen und werthgeschätzten Zuhörer, die Commission, daß ich in ihrem Namen öffentlich ihre Verpflichtung dazu soll bezeugen, und derselben gehörige Abstattung anpreisen.

Eine wahre Dancksagung bestehet aber nicht so sehr in Worten, als wohl in Erwägung des Guten und Nützlichen, welches uns Gott durch das, wofür wir ihm danken sollen, beweiset, und daß man ihn für den Ursprung und Beschicker von allem dem Guten, mit inniger Hochachtung und Bewunderung seiner Güte, erkenne.

Wir befürchten keinen Widerspruch: wenn wir sagen: daß hohe Schulen allgemeine Brunnen sind, die durch ihre Ausflüsse dem Staat und der Kirche höchst nützlich, und last mich dabey fügen, unentbehrlich sind. Socratis Lehr-Satz, daß das höchste Gut in der Erkenntniß gelegen seye, würde sich unschwer vertheidigen lassen. Eine deutliche und vernünftige Erkenntniß unterscheidet uns Menschen von den Thieren, und macht uns zu Menschen. Je gewisser, deutlicher und reiner die Erkenntniß guter und nützlicher Wahrheiten, und je weitläufiger die Einsicht in den Zusammenhang derselben ist: desto grössere und menschlichere Menschen, wenn ich so reden dürfte, können wir gesagt werden zu seyn: so fern der Mensch von seinem vornehmsten Theile diesen Namen führet.

Ein jeglicher Lehrer auf einer hohen Schule, in so fern dieselbe mit Lehren und Lernen guter und nützlicher Wahrheiten sich beschäftigt, ist nach seiner Art eine Quelle, eine Jahr aus Jahr ein fließende und ausströmende Quelle. Wo vieler solcher Lehrer Ausflüsse sich vereinigen:

Da können sie schon einen beträchtlichen Strom ausliefern, der weit und breit sich ergießen kann, und mehr Nutzen, als mancher dencket, zur Beförderung zeitlicher und ewiger Wohlfahrt stiften.

Was insbesonder diese Königliche Duisburgische Universität angehet: Es hatte schon im Jahr 1566. der Herzog von Jülich, Cleve und Berg, Christmilder Gedächtniß, bey Weyland dem Kayser Maximilian dem Zweyten die erforderlichen Privilegia zur Anrichtung derselben ausgebracht. Welches bereits vier Jahre vorher, nemlich im Jahr 1562. bey dem damaligen Römischen Pabst, Pius dem Vierten, war geschehen. Die Anrichtung selbst aber hat sich wegen dazwischen kommender Kriegs-Troublen verzögert bis in das Jahr 1655. In welchem Jahre auf gnädigsten Befehl Ihro Churfürstl. Durchl. **Friderich Wilhelms**, hochseligsten und gloriwürdigsten Andenckens, in Volck-reicher Versammlung so inn-als ausheimischer hohen und niedrigen Stands-Personen an dem heutigen Tage, nemlich am 14ten Tage des Monats October, ihre Einweihung allhie in dieser Kirche auf die feierlichste Weise ist bewerkstelliget.

Wer wird es läugnen, oder in Zweifel ziehen, daß die Anrichtung ebengedachter Universität unter denen Wohlthaten, womit der **GOTT** und Vater alles Segens dieses Land vorzüglich gesegnet hat, billig einen, und zwar nicht den letzten, Platz habe.

Der Name ihres Durchlauchtigen Stifters, **Friderich Wilhelms**, des Grossen, gloriwürdigster Gedächtniß, soll und muß stets unter uns und unsern Nachkommen im Segen bleiben. Ja es gereicht dieser unserer Universität zu einem nicht geringen Ruhme, daß sie diesen, wahrlich grossen, Fürsten, den seine ausnehmende Gottseligkeit und hoherleuchtete Weisheit nicht weniger als seine heldenmüthige glorireiche Tapferkeit, und aus diesen Quellen gestoffene grosse Thaten zum Vorbilde rechtschaffener Fürsten darstellen. Es gereicht, sage ich nochmahlen, unserer Duisburgischen Universität zu einem nicht geringen, und warum sage nicht, sehr grossen und vorzüglichen Ruhme, daß sie diesen unvergleichlichen, diesen so tugendhaft als großmüthig gewesenen, Fürsten zu ihrem Stifter und Vater habe. Wer **Friderich Wilhelms** des Grossen Ruhm- und Tugend-volles Leben gelesen, und daraus von desselben Huld-reicher Gesinnung gegen die Kirche unsers Erlösers, **Jesu Christi**, mithin gegen die Wahrheit und derselben Bestätigung ist belehret worden, der wird mit uns nicht zweifeln, daß aus demselben lauter  
and

und Verehrungs-würdigsten Ursprunge, woraus so viele heylsame Anordnungen und Verrichtungen entsprossen sind, auch die Stiftung einer hohen Schule zum Dienst und Nutzen, vornemlich auch der Kirche, in dero hiesigen, auch benachbarten, Landen seye hergestoffen. Und daß dieser wahre Vater des Vaterlandes vorgehabt, aus derselben mit der Zeit eine, seinen übrigen grossen Thaten gemässe, eine der stattlichsten und ansehnlichsten Univerſitäten, zu machen, davon können höchstdeſſelben aller-mildeste Stiftungen uns überführen: welche wenn sie zur Würcklichkeit wären gediehen, gewiß auch des beäugten Zwecks nicht würden verfehlet haben.

Wie? Wenn wir einen Schritt weiter thäten, und nach Anleitung unserer Textes-Worte des Grossen **Friderich Wilhelms** Glauben und Gottseligkeit, welche die Anrichtung dieser Univerſität haben veranlaſſet, zum Grunde der Hoffnung legten, daß diese von Demſelben geſtiftete Univerſität den Segen des Glaubens und der Gottseligkeit werde ererben: das ist, daß sie ein Brunnen lebendiger Wasser, die nie vergehen, nie verſeygen, ſeyn werde?

Dieses liegt wenigſt am hellen Tage, und muß von uns, und den Geſchlechtern, die nach uns werden aufkommen, mit dem erſinnlichſten, allerunterthänigſten, Danck erkannt und verehret werden, daß unsere **Friderica Wilhelmina** unter der so gnädig als mächtigen Beſchirm- und Verſorgung der Allerdurchlauchtiſten Nachfolger ihres Glorreichen Stifters beſtändighin bis auf den heutigen Tag beſtanden, daß ihre Brunnen fort und fort bis auf den heutigen Tag geſtoffen haben. Es ſind LXXVII. ordentliche Professores, so von der Zeit ihrer Errichtung an bis auf diese Stunde auf dieser Königlich Univerſität öffentlich gelehret haben, und zum Theile noch lehren. Unter denen viele nach ihrem Tode annoch in ihren Schriften leben und zu lehrensfortfahren.

Auch hat es nie an denen gefehlet, die nicht allein aus denen Churfürſtlichen, hernacher Königlich, sondern auch aus andern Landen gekommen ſind, aus unsern Brunnen zu schöpfen. Ich finde, daß die Anzahl derſelben ſich an die 42. hundert erſtrecke: aus denen nicht wenige ſind, die hernacher dem gemeinen Weſen so wohl als der Kirche die vortreflichſten Dienſte geleistet haben, und noch würcklich leiſten, die ſelbſt zu anſehnlichen Brunnen, woraus wiederum andere, nicht nur einzele Gemeinen und Städte, sondern so gar auch ganze Landſchaften, geſchöpfet haben, und noch würcklich schöpfen, geworden ſind.

In dem Buche, worinn die Nahmen unserer Academischen Bürger eingeschrieben werden, wird auf das Jahr 1678. bis 79. über eine fast allgemeine Flucht und Verlassung der Universität geklaget, wegen derer damahls vorwaltenden Französischen Kriegen. Ich finde, daß in gedachtem Academischen Jahre in allem nur 10. theils Candidaten, theils Studiolen, sind eingeschrieben. Es ist aber die folgenden Jahre darauf alles wiederum in seinen vorigen Gang und Lauff gekommen, und nach der Zeit ohne dergleichen Störung darinn geblieben.

Billig heben wir unsere Augen in die Höhe nach den Bergen, die unsere Brunnlein mit Wasser anfüllen, daß sie überlaufen. Wir beten mit gebogenen Herzen an den unendlichen und unerschöpflichen Ocean aller Erkenntniß und Weisheit; Wir beten denselben an mit grundmüthigen Dancksagungen für all das Gute, für all den Segen, den diese hohe Schule, die verflossenen 100. Jahre durch, aus seiner mildreichsten Hand hat empfangen, den Lehrende und Lernende genossen haben. Es fanden sich vormahls Völker, welche jährlich auf eine feierliche Weise ihre Brunnen mit Blumen bekränketen, auffer Zweifel, weil der daher stießende grosse und unentbehrliche Nutzen sie rührete: dem Vater aller, so geist- als leiblicher, Brunnen wollen wir, an statt verwelcklicher Blumen, Kränken und Kronen von vereinigten vernünftigen Dancksagungen vor desselben Thron und Füßen niederlegen.

Ihm, dem Beherrscher der gansen Welt, dem Gott, der des Königs Herz in seiner Hand hat, und es wie Wasser-Bäche leitet, wohin er will, geben wir für die bisherige Erhaltung offtbefagter hohen Schule, und daß die Allerdurchlauchtigsten Großmächtigsten Nachfolger unseres Glorwürdigsten Stifters ihre allergnädigste Landes-väterliche Verpflegung ihr beständig bis auf den heutigen Tag haben angebeyen lassen, billig die erste und oberste Ehre. Wir erkennen mit derselben Demuth, daß ihre künftigen Schicksale von seinem Winckel, und der fernern Lenck- und Leitung seiner allmächtigen Hand abhängen. Wir ruffen aus dem Grunde unserer Seelen zu dem Könige, der in dem Himmel ist, und thun kann, was er will, daß Er seinen Gesalbten, unsern Allergnädigsten König, unsern allertheuersten Erhalter und Pfluge-Vater, wie seinen Aug-Äpfel, wolle bewahren, ihn unter dem Schatten seiner Hand, unter einem beständigen Zufluß seiner ewigen Liebe, in allem Königlichen Wohlergehen, sicher wohnen lassen bis in das aller spätesteste Alter. Wir ruffen ihn, den ewigen und ewig lebenden GOTT, zugleich mit derselben Inbrünstigkeit an, daß Er über Ihro Königliche Hoheit, den Prinz von Preussen, seine himmlischen Heyls-Ströme, nebst dem Segen eines lan-

langen vergnüglichen Lebens, wolle ausgießen, und diese Heyls- und Segens-Ströme über desselben Nachkommen und das ganze Königliche Haus fort und fort fließen lassen bis an das Ende der Tage.

Nichts soll, nichts muß, dieser hohen Schule angelegentlicher am Herzen liegen, als die Erbittung dieses Segens: angesehen sie der freudigen Zuversicht leben kann, daß damit auch ihre Erhaltung und Wohlfahrt verknüpft seye und bleiben werde.

Und gleichwie sie wünschet und vertrauet, daß ihre hochgebietende Herrn Curatores, wie auch die hochpreisliche Regierung dieser Landen, ihrer auch künftighin zum Besten und zur Beförderung ihres Aufnehmens mögen und werden eingedenck seyn: so achtet sie es auch ihrer Pflicht und ein Stück ihrer schuldigen Danckbarkeit zu seyn, Gott auch um derselben langwierige Wohlfahrt anzuruffen, und daß sie samt und sonders bey ihm für ihre getreue und huldreiche Vorsorge eine reiche Vergeltung in zeitlichen und ewigen Segnungen finden mögen, eiferigst zu bitten.

O! daß in uns allen, welche die Göttliche Fürsorge auf dieser hohen Schule zu Lehrern beruffen und gesetzt hat, die heutige Jubel-Feier ein Feuer entzündete, einen feurigen Trieb, eine feurige Gesessenheit, veranlassete, derselben nicht nur ihre zunehmende Wohlfahrt zu wünschen, sondern auch nach allem Vermögen würcklich zu befördern, zum Spor und Vorbilde aller unserer künftigen Nachfolger!

Ihr auch, unsere liebtwertheften Freunde, die ihr den lernenden Theil dieser Königlichen Univerlität ausmachet, und so viel deren hier gegenwärtig sind, die ein Herz für die Wissenschaften haben: Ihr absonderlich, die ihr Lust, Kraft und Freymüthigkeit habt zu beten im Glauben, wir bitten euch, helfet uns dem Herrn unserm Gott danken, helft uns beten, daß der ewige, der allgenugsame El Schaddai fortfahren wolle, unserer hohen Schule, und durch sie der Kirche und dem gemeinen Wesen Gutes zu thun: daß Er sein gnädiges, sein genesendes, sein ernehrendes und mehrendes, Antlitz stets hin über dieselbe wolle leuchten lassen!

Um wiederum auf den allgemeinen Gebrauch unserer Textes-Worte zu kommen: Ein jeder Lehrer nicht allein auf den hohen Schulen, und in der Kirche, sondern auch ein jeder Haus-Vater in seinem Hause, ja ein jeder Christ, sollte eine Quelle lebendiger Wasser abgeben und darstellen, ein jeder nach dem Maaße der empfangenen Gnade und daseynden Bequemheit.

O!

O! daß alles, was in und an uns ist, von dem überschwänglichen Reichthum, den der Glaube in unserm JEsus finden, und aus ihm schöpfen kann, zeugete! O! daß unser Herz und Mund von seinem Ruhm und Lobe, von rühmenden und lobenden Dancksagungen für die empfangenen Segens-Ströme, fort und fort mögte überlauffen: daß, gleichwie unser Glaube lebendige Heyls-Ströme zu seinem Gegenstande hat, solche Heyls-Ströme, die die Hitze der Anfechtungen, die Tod und Ewigkeit ausdauern; also auch unser Rühmen, Loben und Dancken, ein lebendiges, ein fort und fort dauerndes, ein unvergängliches, ein ewiges, Rühmen, ein ewiges Loben und Dancken seyn und werden mögte!

Wache auf unsere Ehre, wache auf Laute und Harfe. Auf, die ihr seyd von der Quelle Israels, lobet, lobet den HERN: denn unsern GOTT loben, das ist ein köstlich Ding, solch Lob ist lieblich und schön. Lobset unsern GOTT, lobset; lobset unsern Könige, lobset: denn unsern GOTT lobset, das ist ein köstlich Ding, solch Lobset ist lieblich und schön: Darum, diese ist die Sprache des Glaubens in dem siebenden Vers des sieben und achtzigsten Psalms, gebe GOTT, daß es auch unsere so thätlich als mündliche Sprache seyn möge heut und zu allen ewigen Zeiten, darum singen und springen alle unsere  
 Brunn-Quellen von seinetwegen,  
 Amen.



JOANNIS HILDEBRANDI  
WITTHOFII

ORATIO  
PANEGYRICA

IN FESTO SECVLARI  
*ACADEMIÆ DVISBVRGENSIS,*

CENTESIMO EJVS NATALI  
DIE XIV. OCTOBRIS ANNO cdo Idcc LV.

*HABITA.*

LXV

*CICERO*

PRO CN. PLANCIO, CAP. XXXIII.

Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? qui fune  
boni cives? qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi  
qui patriæ beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum  
colentes, nisi qui meritam diis immortalibus gratiam iustis  
honoribus & memori mente persolvunt?

*VIRI*



VIRI PERILLVSTRES, ACADEMIÆ HVJVS CON-  
STITVENDÆ DVVMVIRI GRAVISSIMI, ILLVSTRISSIMI  
REGIMINIS CLIVENSIS ET MARCANI PRÆSIDES,  
CETERIQVE EJVSDDEM REGIMINIS CONSI-  
LIARII EXCELLENTISSIMI.

MAGNIFICE ACADEMIÆ RECTOR, PLVRIMVM REVE-  
RENDI, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, CELEBERRIMI, QVA-  
RVMVIS SCIEN TIARVM PROFESSORES DIGNISSIMI, COLLEGÆ  
HONORATISSIMI; VOS QVOQVE CETERI, QVOTQVOT ADESTIS,  
INNVMERABILES, NATALIVM SPLENDORE, DIGNITATIBVS,  
MERITIS, MAGISTRATIBVS, STVDIIS, ORDINIBVS CON-  
SPICVI, NOTI IGNOTIQVE, SED OMNES EXIMIO NO-  
BIS HONORE COLENDI AVDITORES: AC TV DENI-  
QVE FLORENTISSIMA STVDIOSÆ JVVENTV-  
TIS CORONA, AMOR NOSTER AC CVRA  
PRÆCIPVA.



Vetustarum quarumvis gentium, in præcipuis Asiæ totius  
Africaeque, nec non in ipsius Europæ nostræ regionibus,  
alicujus olim doctrinæ vel ingenii fama florentium,  
constans & perpetua ferè consuetudo fuit, ut sapien-  
tiæ sublimioris arcana, hominibus ad bene beateque  
vivendum scitu necessaria, symbolis quibusdam externis, velut ima-  
ginibus & picturis rei veritatem adumbrantibus, ante oculos pone-  
rent.

rent. Nihil videlicet efficacius fore censebant ad certitudinem notitiamque cujusvis salutaris doctrinae penitus ipsis, ut ita loquar, animorum recessibus imprimendam, quam si externorum, quibus quotidie utebantur, sensuum ope, si visu, auditu, tactu, imo si olfactu propemodum ac gustu ipso ad uberiores aliquam vividamque rerum sublimium cognitionem perducerentur. Nihil jam commemorabo de variis hujus antiquae consuetudinis ac doctrinae vestigiis, quae in ipso sacrarum Literarum & imprimis Veteris Instrumenti latifundio passim deprehenduntur, hujusmodi adorandis, ac verè castissimis floribus referto; nihil de Novi Foederis viridario tales imagines aliquando velut gemmas quasdam stellulasque representante; in quo sanctissimus Servator noster, unicus Doctor, & ex ipso caelo demissus humanae salutis Instaurator, nos ad Patrem suum caelestem sine multis ambagibus in Spiritu & Veritate ductos sinceræ, virili ac quasi maturæ pietati, neglectis ac prætermisissis ob ingentem abusum ceremoniarum crepundiis, assuefacere volens, quot tamen parabolis ac sanctissimis salutarium præceptorum involucris, quot imaginibus ipsam velut oculorum aciem ferientibus res mere spirituales pro caelesti sua sapientia & bonitate, nobis depingere voluit! imo quam supremo mortis jam appropinquantis tempore perennem atque indubitam sui ipsius præsentiam & communionem sacrosancto externi cujusdam pignoris, quod religiose usurpandum esset, mysterio suis primo discipulis, ac deinceps per eos omnibus sinceris quaquaversum cultoribus obsignare dignatus est! De solis loquor aliorum populorum institutis & moribus, quos ulli unquam per orbem terrarum annales, ulla monumenta ob aliquam vel exiguam cujusdam pietatis ac sapientiae speciem celebrarunt. Hi quamvis à caelesti Veritate longe remotiores essent, hanc tamen eandem Virtutis & Sapientiae præcepta tradendi consuetudinem, etsi multis postea deliræ levitatis accessionibus corruptam & depravatam, sequebantur. Horum cum multi, ipso rationis lumine dictante, miseris mortalibus aliquatenus in mediis tenebris per infinitam DEI misericordiam residuo, cognoscerent, absque duabus his virtutibus, Fortitudine & Sapientia, omnis Temperantiae & Justitiae genitrice, nullum imperium, nullam rempublicam, urbem denique nullam florere ac diu consistere posse, hanc veritatem imagine quadam ita depingebant, ut per externos sensus in ipsos animos penitus influeret ibique confirmaretur. Addebant etiam, ut avida semper hominum natura est adscititiis quasi coloribus ingeniosa sua figmenta magis magisque excolendi, cum conservatione hujus imaginis etiam publicam regnorum urbiumve salutem conjunctam esse, dum non ipsam  
pro-

proprie imaginem, ejusque materiam, quantumvis pretiosissimam, sed potius virtutes paulo ante commemoratas, Fortitudinem atque Sapientiam, intelligi volebant, hujus imaginis intuitu mentibus humanis inculcandas, & exercendas. Quam vera, tam salutaris hæc etiam doctrina fuisset ac perpetuo mansisset, nisi per fatalem hominum vanitatem, semper externa specie inescari & obstupesceri solitorum, res eò ubique fere gentium redacta esset, ut ipsis illis mutis imaginibus, earumque conservationi, non Virtutibus amplius per eas adumbratis, istam in publica salute custodienda efficaciam tribuerent; adeo quidem, ut nonnullæ gentes Asiaticæ grandiloquis suis nugis ebræ, non sine incredibilem dementia, talique pœna, qualem protervia sua, levitate, & in sobriis arcanae sapientiæ mysteriis indecente loquendi vivendique luxuria promeruerant, ipsa hæc simulacra sua catenis alliganda censuerint, ne videlicet eriperentur, aut clam palamve subduci possent. Meministis, opinor, Auditores, tale olim Trojanorum, tale Romanorum fuisse Palladium, quæ sibi cœlitus esse demissa, ac propterea si non catenis alliganda, maxima tamen sollicitudine custodienda credebant; donec alterum irrepentibus certatim vitiis & sceleribus cum Ænea bonorum civium ultimo subduceretur, alterum vero, quo veteres Romani se jactabant, paulatim evanesceret, postquam pro fortitudine inertia, pro sapientia stolidus furor atque vecordia, pro temperantia denique ac justitia nihil nisi luxuria, protervitas, avaritia, crudelitas, ac præter scædandi prædandique libidinem omnium vitiorum colluvies tanti tamque potentis populi sedem inundaverat. Hoc scilicet Palladii istius non amplius recte intellecti & custoditi neglectus & jactura cum totius felicitatis & potentiaë naufragio contulerant.

Nolo hic etiam prolixè ostendere, quam idem propemodum docendi & salutaria præcepta supinis mortalibus inculcandi genus inter ipsos quoque postea Christianos non penitus oblitteratum fuerit. Quis enim Statuas illas Rulandinas pluribus Saxonis in Germania Civitatibus attributas, ac non multum dissimilibus ab ignara plebe fabellis sæpe dehonestatas ignorat, revera tamen publicæ felicitatis ac quietis, inter operosam civium diligentiam sub Cæsarea tutela & justitiæ administratione perdurantis, interpretes? Quam latus autem pateret campus, si de aliis quibusdam simulacris, eorumque origine loqui vellemus, & abusu pertinacissimo, propter hominum malitiam & levitatem nunquam nisi cum ipsis simulacris abolendo; ad exemplum sanctissimi Judæorum Regis Ezechiaë; quem æneum serpentem ob abu-

sum è medio sustulisse, quamvis ab ipso Deo fabricari iustum, in sacris voluminibus laudari videmus. Hoc dico, Auditores, bene constitutas quarumvis artium ac scientiarum Officinas, quas Academiarum nomine insignire solemus, jure etiam meritoque urbium ac regionum quædam quasi Palladia nominandas videri, si in iis studiosa juvenus, verum illud unicumque futuri temporis seminarium, ad virtutem & decus, hoc est, ad sapientiam & pietatem cum vera eruditione & multarum rerum notitia conjungendam manu quasi fideli ducatur. Tale Palladium religiose cultum servatumque tanto majoribus beneficiis omnem maectat rempublicam, quanto magis constat, eam præsentium bonitate parum fore beatam, nisi etiam succedentium dexteritate in eodem felicitatis apice conservetur. Tale cum antiquissimæ huic Urbi jam dudum antea destinatum, dilatatumque sæpius, tandem ante centum annos contigerit, causas plurimas habemus, cur ei quidem non minus quam vicinis regionibus gratulemur, nobis autem illud gratæ mentis officium impositum esse censeamus, ut hujus tam sacræ Aedis ante seculum dedicatæ memoriam Sacris etiam secularibus, ac solenni celebritate recolamus; qualem nemo nostrum in hoc loco vidit, nemo etiam nostrum iterum visurus est, quem admodum de suis secularibus ludis veteres Romanos affirmasse memoriæ proditum est.

Gratæ vero mentis ac pietatis, primum immortalis Deo, omnium bonorum fonti unico, deinde serenissimo ac sapientissimo Principi, benignissimo Athenæi nostri Conditori, tribusque ejus Successoribus, serenissimis ac potentissimis Regibus nostris, velut Custodibus ac Nutritiis, debitæ interpretem cum me venerandi hujus Academiæ Patres, Collegæ honoratissimi, designaverint, demandatas mihi partes, pro muneris & officii ratione, non minus hilari quam devoto pectore suscipiendas putavi, non quod ullam in me dicendi facultatem agnoscam, quæ quam tenuis atque exigua sit, pulchre recordor, sed quod in eo quoque singularem divinæ providentiæ benignitatem mihi nihil tale promerenti declaratam venerer. Cum enim ante annos viginti quinque jam præterlapsos in aliorum secularium Sacrorum celebritate, ob exhibitam Carolo V. Imperatori Confessionem Augustanam instituta, ex hoc loco Oratorem egerim, non exigua me lætitia perfusum esse sentio, quod, favente supremo rerum humanarum Arbitro, nunc idem parem tam clementer indulgentiæ felicitatis usuram huic ipsi quarumvis artium & scientiarum Officinæ, Matri nostræ sanctissimæ, huic Athenæo, huic cathedræ, his  
sub-

subfelliis, huic denique univēſæ Civitati tantorum bonorum participi, quin etiam vicinis regionibus quaquaverſum jacentibus connexisque gratulari debeam; ob quarum commoda hæc ſacra Muſarum ſedes in ipſo earum velut meditullio olim potiſſimum condita fuit, & heic loci ante centum annos nunc elapſos ſolenniter inaugurata, præſente ſereniſſimo ac vere magnanimo Naſſavici ſanguinis Principe, *Joanne Mauritio*, non ſolum paterna in univerſum hunc Clivenſem tractum gubernandi facilitate & ſollicitudine incluto, ſed innumerabilibus etiam factis heroicis per Europam & Americam, maximeque per Braſiliam patratis ſtupendo. Hujus tanti tamque pereximii & à Caſparo Barlæo juſto volumine collaudati Principis ſplendore quis non Duisburgum noſtrum ſibi jure placere & gratulari poſſe cenſeat, ſi talem, tam verum ſeculi ſuperioris Scipionem, pace belloque eundem, nomine locoque potentiſſimi Electoris Brandenburgici *Friderici Guſtavi*, Herois incomparabilis, in dedicatione hujus Sacrarum ſui poſtes tenuiſſe recorderetur?

Vos autem, Auditores omnium Ordinum & Dignitatum honoratiſſimi, vos, inquam, oro obteſtorque, ut, dum pauca delibamus ex plurimis, eam nobis benevolentiam præſtetis, non quam dicentis tenuitas & infantia, ſed quam rei ipſius pondus atque præſtantia requirunt, quamque diei tam diu deſiderati ſolennitas ſuo quodam jure poſtulare videtur. Eſt hæc, ut noſtis, ac videtis, ejuſmodi, quam ſemel quovis tantum Seculo recurſuram conſpiciendi cupiditas innumerabiles hujus regionis incolas ſuis certatim ſedibus excivit. In tanto rerum apparatu demandatas partes negligere, & adductis velut aulais repente iterum diſcedere velle, non modo perridiculum, ſed gravi etiam reprehentione dignum videretur. Operam tamen dabo, ut eâ brevitate utar, quæ omnibus ob tædioſas ambages reciſas perjucunda, nemini poſſit ob rerum ſterilitatem pœnitenda videri. Ac tribus potiſſimum capitibus, iisque perexiguis, veluti totidem, extra quos egredi non liceat, cancellis, Oratio noſtra continebitur; ut primum ſcilicet veram hujus ſacroſanctæ Muſarum ſedis cauſam & originem, ejuſque poſt multas demum remoras ante centum annos peractam dedicationem, deinde ejus fata ac viciliſtitudines, hoc eſt, læta triſtiaque per tantum temporis ſpatium ſubeunda, diſſeram, ac poſtremo ut eorum, qui in hac alma Matre noſtra omnigenarum artium & ſcientiarum ſacris operati fuerunt, veluti myſtarum quorundam aut ſacerdotum, hoc eſt, Docentium vobis imaginem breviſſimam ante oculos ponam, ceteris multo prolixioribus, ac fortaliſſis viſu lectuque non injucundis in aliam, ſi Deo viſum fuerit, orituram nobis occaſionem dilatis.

Penul-

Penultimus eorum Dynastarum, sub quorum imperio ac ditio-  
 ne hæc Clivensis ac vicina Montensis regio, ceterique tractus amplif-  
 fimi iisdem cohærentes florebant, *Guilielmus* erat, cognomine *Dives*,  
 jure meritoque sic appellatus, quod ad eum tanquam unicum ac legi-  
 timum heredem, tam opima sex uberrimarum, & vel opificiis, vel  
 agricultura, vel commerciis, vel omnibus simul florentium regionum  
 hereditas pervenerat, quæ ab utriusque Parentis, *Joannis Clivensis*,  
 ac *Mariæ Juliacensis* majoribus ad hunc felicissimum nepotem deriva-  
 tæ, & sub eodem in unum corpus compactæ erant. In eum velut  
 Regulum quandam, repente tot regionibus in præcipua parte Ger-  
 manicæ circa Rhenum combinatis exortum, omnium fere Principum  
 nondum ita potentium oculi conjiciebantur; adeo ut Johannes  
 ipse Calvinus, ex communi scilicet tunc temporis viventium judicio  
 scribens, in quadam ad amicum & popularem suum, *Guilielmum Fa-*  
*rellum*, epistola testetur, nullum potentiorum in tota Germania hoc  
*Guilielmo* reperiri Principem, cujusque dignitas & amplitudo regio-  
 num tantum ponderis ac momenti rebus transigendis adjicere possit,  
 si duo lucidissima Austriacæ domus sidera, *Carolus Imperator* longe  
 potentissimus, ejusque Frater *Ferdinandus*, exciperentur. Pa-  
 rum est profecto, si verum fateri volumus, solo natalium splendore  
 ceteris mortalibus antecellere, quos etiam pravissimus interdum forti-  
 ri, nullus unquam, licet optimus, sibi tribuere potuit: parum est, cu-  
 nis nobilitatem, non etiam meritis & virtutibus censi; parum ad  
 veram solidamque laudem Viris potentissimis & in altissimo dignitatis  
 gradu constitutis conciliandam, divitiis opibusque, solis fortunæ bo-  
 nis, fuisse, nisi etiam singulares animi dotes accesserint, homini ma-  
 xime convenientes, solæ scilicet divitiæ, quæ nec eripi possunt, nec  
 gravant circumferentem. Præter egregios in sapientiæ & literarum  
 studiis progressus, scriptis etiam ab adolescente ad *Erasmum*, tunc or-  
 bis eruditi miraculum, literis testatos, tanta simul erat in hoc Princi-  
 pe sine fucis erga Deum pietas, tam singulare æquitatis & justitiæ stu-  
 dium, tantus in omnes subditos amor, ut illis vix quisquam tempo-  
 ribus reperiretur, qui in hac parte cum eo comparari, nemo certe,  
 quoscunque annales revolvamus, qui ei præferri posset. Doctorem ille  
 in adolescentia nactus erat Virum tam moribus sanctum, quam doctri-  
 na & eruditione conspicuum, *Conradum Heresbachium*, *Medmanni*  
 in vicino tractu Montensi natum. Erat hic non solum Juris Romani  
 scientia, quam sub principibus ejus artis in Italia Germanicæ mysta-  
 gogis diligenter imbiberat, penitus imbutus; sed præter ipsam de  
 Deo divinisque rebus ac tota religione notitiam, eruditissimo in Psal-  
 mos

mos Davidicos commentario etiamnum testante, quarumvis etiam bonarum literarum tam è Palæstina & Oriente, quam ex veteri Latio & Hellade profectarum scientissimus, ac præterea sincerus magni *Evafmi* amicus. Hoc ultimum sane contingere non potuisset, nisi iisdem, quibus ille, de bonarum literarum studiis & Religione sententiis, iisdem plane opinionibus deditus, earundem odore illustrissimi Principis, discipuli sui, animum jam in ipsa adolescentia, velut recentem testam, imbuisset.

Hæ in eo potissimum consistebant, omnium disciplinarum, quæ ab humanitate & elegantia nomen fortiuntur, consuetudinem renovandam esse; Græcos Latinosque Scriptores veteres, tam sacros quam profanos, ex cænobitarum claustris, qui suo potius abdomini inter auream Legendam, & Januensis Catholicon, similesque putidæ mercis saburras Ecclesiæ carinam degravantes, quam bonis literis vacarent, tandem iterum vindicandos, & velut è pedore carceris, ubi situ ac fordibus obsiti tam diu delituerant, in lucem revocandos; linguarum eruditarum studia, quibus utriusque sacri Codicis monumenta à divinitus inspiratis Scriptoribus consignata essent, iterum magis magisque exercenda, ut non è limosis & sordidis amplius lacunis, sed ex ipsis purissimis & limpidissimis fontibus hauriri posset; in rebus ad Religionem & cultum divinum pertinentibus terminos antiquos non facile quidem movendos esse, Romano Præfuli suum etiam inter ceteros sacrorum Antistites principatum, rem scilicet arduam, Apostolorum simplicitati ignotam, si non divini, saltem humani juris præscripto, factum tectumque relinqui posse, idque ordinis magis, ac quietis, aut etiam decori cujusdam conservandi causa, quam ut ulla superstitiosa tyrannis & dictatoria potestas in hanc sacrosanctam Christianæ Religionis ad omnes pertinentis rempublicam introduceretur; ea tamen cum suis nævis & defectibus, ob hominum imbecillitatem & imprudentiam paulatim invalescentibus & deinceps diuturnitate temporum corroboratis, laboret, omnes abusus veræ pietati noxios & damnosos, sive illi ad ceremoniarum exteriorum apparatus, sive ad ipsam doctrinam pertineant, libere ac cordate, sine ullo tamen tumultu aut Lucilianæ dicacitatis acrimonia, tollendos atque abrogandos esse; incredibilem ac vix satis deplorandam hominum esse cæcitatem somniantium, res divinas humanis esse similes, & Christianismum, rem altam, rem regiam, rem cælestem ac divinam, variis externæ pompæ ludibriis absolvi, solis nempe corticibus omni nucleo spoliatis, imo ob tot pericula etiam vetitis; nec quemquam cogitare, ad hunc lapidem

L

omnes

omnes olim gentes à Deo rejectas, ipsosque pariter Judæos offendisse; omnem inanem superstitionem mentibus eximendam esse; avaritiæ, ambitioni, hypocrisi, ludibriis, nundinationibus, ceterisque commentis vel respectu miserrimæ plebis, ipsi Redemptori nostro, cum in hac terra versaretur, & nunc quoque commiserationem moventis, obices figi debere; neque hoc Vaticano illi Antistiti revera fraudi aut dedecori futurum esse, cum nihil in humanis rebus occurrat, quod non ut senio, ita etiam corruptioni obnoxium sit, cui, si sanari & sapere velimus, avertendæ omnes ingenii & diligentiae nervos intendere debeamus, tanto magis, cum ipse etiam Capitolinus ille Præsul, sublatis omnibus corruptelis exercitium veræ, non fucatae pietatis impredientibus, nihilominus in sua dignitate subsistere, & primas tenere possit; de quibus scilicet maxime, non inter vere spirituales altioris luminis capaces, sed inter omnes etiam minimos Sacerdotes, si à Christi vestigiis incauti exorbitaverint, velut ad histrioniam peragendam laborari solet; Nequaquam tamen inde sequi, edicta semper Manliana, aut velut novas quasdam Persarum & Medorum leges in rebus sacris spiritum lenitatis ac modestiæ requirentibus promulgandas, ceterisque velut attonitis adorandas esse.

His opinionibus & sententiis nihil nisi insignem animi moderationem cum amore Veritatis conjunctam satis spirantibus cum Princeps illustrissimus *Guilielmus* ab *Heresbachio* Doctore suo primum imbutus, deinceps ab ipso *Erasmo*, nec non à *Joanne Vlateno*, sapientissimo Viro, per Juliacensem tetrarchiam Cancellario & Areopagita eandem vitæ sectam perpetuo velut tutissimam secuto, confirmatus esset, ac præterea incredibili Subditorum suorum amore flagraret, ut eorum salutem periculosis illis ac turbarum plenis temporibus confuleret, publicam artium quarumvis & scientiarum, tam sacrarum quam civilium, palæstram heic loci velut in meditullio regionum suarum erigere & dedicare constituit. Huic enim optimo & sanctitate morum potentiaque conspicuo Principi primi hujus Academiae non inauguratae quidem, sed destinatae firmiterque decretæ natales debentur. Eum in finem non solum ab invictissimo Imperatore *Maximiliano* hujus nominis secundo, Affini suo, utpote serenissima Conjugis Fratrem, parem animi moderationem in omnibus consiliis, dictis factisque suis conservante, necessaria privilegia ante centum octoginta & novem annos obtinuit, sed ipsius quoque Pontificis Romani *Pii quarti*, non, ut scripserunt perverfissime nonnulli, secundi vel tertii, consensum impetravit, solenni diplomate quadriennio citius, anno

anno videlicet millesimo quingentesimo sexagesimo secundo declaratum, ob reditus quosdam ecclesiasticos in hunc usum salubriter convertendos, quod absque auctoritate Præsulis istius fieri non debere iudicaverat. Facile percipitis, opinor, Auditores, quo pacto evenerit, ut hæc Musarum palæstra longo post tempore demum condita & ante centum annos dedicata, folisque purioribus Reformatorum, sicut vulgo appellantur, Sacris stabili sanctione consecrata, etiamnum utraque privilegia ostentare possit. Ortis acerrimis initio seculi decimi sexti circa modum cultus divini controversiis, diu res incertæ pependunt, quonam tandem in his regionibus evasuræ essent, sicut ex iis, quæ breviter jam attigimus, facile concludere licet. Quamvis enim non solum innumerabiles harum regionum incolæ, sed plures etiam in ipsa Principis aula Consilarii, & inter eos quoque *Heresbachius*, magis deinceps aperte in nostrorum castra transirent, ipse tamen serenissimus Princeps *Guilielmus* variis modis pro temporum necessitate aut aliis rerum circumstantiis vacillabat. Modo enim emendatis Sacrorum ritibus, quibus etiam omnes quatuor filias suas sciens volensque imbuendas curabat, addictior esse, modo, nescio qua formidine, vel purpuratorum agitatione fluctibus marinis simili, pedem paulisper iterum retrahere videbatur, reapse tamen Erasmi sententias, quas penitus imbiberat, constanter amplectebatur, quem olim etiam Dusseldorpium in aulam suam peramanter invitaverat, excusatione causarum corporis & ætatis, in qua ad aliud iter vasa colligenda essent, utentem, & ex portu Basileensi in aulae fluctus se conferre nolentem, à quibus non minus natura, quam literarum studiis libere vacandi cupiditate se semper abhorruisse, satis quoque tot epistolis hujus indolis testibus indicaverat, sprete etiam ipsa Cardinalis, ut appellant, dignitate à Paulo tertio, si Curia Romanæ causam contra Lutherum agere vellet, oblata.

Sic mediam viam cum serenissimus Princeps *Guilielmus* revera sequeretur, hoc est, cum toto pectore & animo purioribus Sacris instaurandis studeret, formam tamen omnem exteriorem cum ipso regimine non usquequaque mutatam esse cuperet, idque nemini mortalium ignotum esse posset, profecto, si verum fateri volumus, magis admirandum est, Præsulem Romanum *Guilmo* in erigendo novo Athenæo tam prolixè annuisse, quam hunc ejus aliquem consensum vel petiisse, vel sibi necessarium judicasse. Tanto justiores etiam hujus admirationis sunt causæ, quanto magis constat, scriptoribus fide dignis ita testantibus, Patri ejus *Joanni*, Principi laudatissimo,

tiſſimo, jam de Academia in his regionibus erigenda cogitanti, Pontificem Romanum hac lege ſe conſenſurum declarafſe, ſi prius Joannem Monhemium, eruditiffimum Scholæ Duffeldorpienſis Moderatorem, hæreſeos nomine falſo traductum, dimitteret; cui Princeps ille reſponderat, ſe potius Academia carere, quam tanti tamque præclari Viri jaſturam facere decreviſſe. Satis etiam hinc, Auditores, conſtare poteſt, quanta eorum veræ hiſtoriæ fuerit ignorantia, qui ultimos indigenas harum regionum Principes penitus Romanenſium Sacris fuiſſe addiſtos affirmare non dubitarunt; quanta etiam eorundem malignitas, qui inde argumenta, quæ ſcilicet temporibus ac Principibus aliis regulam quandam normamque conſtituerent, comminifci voluerunt; qualiter præter duos illos ſat decantatos olim Fratres Walenburgios, etiam Petrum illum Cudſemium, poſt inventas fruges iterum glandibus veſci gaviſum, & in hac ipſa Urbe quondam natum, Veſaliæque educatum, deliraſſe ex ipſis eorum ſcriptis intelligimus.

Quisquis vero, Auditores, temporum illorum, & rerum in his regionibus geſtarum faciem bene cognitam habuerit, nihil eorum, quæ diximus, in dubium vocabit. Niſi Soceri, Ferdinandi Cæſaris, auctoritas, & Caroli quinti Imperatoris, tum aulæ Bruxellenſis & Hiſpanorum violentia obſtitiffent, nihil omnino impedimenti fuiſſet, quin *Guilielmus* magis aperte in Proteſtantium caſtra tranſiſſet, quorum jam conſiliis & deliberationibus in ipſis comitiis & conventibus Imperii tam ſemetipſum præſens adjunxerat, quam Legati ejus non ſemel interfuerant.

Vel ſola eorum mentio, quos huic Academiae tum condendæ Doctores Princeps ſanctiffimus deſtinaverat, ejus mentem extra omnem nobis dubitationis aleam collocabit. Sacrarum Literarum & Theologiae ſpartam *Georgius Caſſander* ornaturus erat, eum in finem jam in hanc Urbem, ubi lares fixerat & per plures annos commorabatur, delatus, cujus viri irenica conſilia ſcriptaque quam toto orbe celebrata, quam Calixtis, quam ipſi illi incomparabili, & vere nominis ſui Viro Hugoni Grotio paria fere ſentienti conantique in deliciis fuerint, ut ab eo traditam quaſi lampada exitu tamen eodem capeſſeret; quam denique pertinacibus Vaticanæ mitræ cultoribus ſemper ſuſpecta fuerint & exoſa, vel ſola librorum ejus condemnatio, & præſectus Indicis, ſicut appellant, expurgatorii rigor abunde teſtatur. Jurisprudentiæ ſtudioſis adoleſcentibus inculcandæ *Fran-*  
*cifcus*

*ciscus Balduinus* admoendus videbatur, Vir eruditissimus, & præter Legum exactam notitiam politiorum etiam Literarum cognitione non leviter adpersus; ut mirum nemini esse debeat, tantum Juris utriusque Sacerdotem, sed in rebus ad Sacra religionemque pertinentibus valde lubricum, jam tum Commentarium suum ad Leges de Jure civili, Voconiam, Falcidiam, Juliam Papiam Poppæam, Rhodiam, Aquiliam, paulo ante Senatui Populoque Duisburgensi humanissima prorsus epistola, velut amicis ac futuris municipibus suis, dedicasse; quem librum mirifica eruditione tinctum, ut cetera ejus viri Scripta, ob insignem raritatem Hieronymus Nicolaus Gundlingius ante viginti pluresque annos denuo recudendum & in lucem protrahendum curavit. Porro Medicinæ rerumque physicarum mysteriis indagandis Budericensem illum *Reinerum* destinaverat *Solenandrum*, Virum ut scriptis immortalibus nemini paulo eruditiori incognitis, ita Sacrorum tum temporis emendatorum amore satis celebratum, cujus præconem præter Pantaleonem, Hamelmannum & Teschenmacherum, candidissimum illum Melchiorem Adamum habemus, stulte sane ab aliis hominibus maxime sectariis, qualis Henningus ille Wittenus fuit, partium studii accusatum. Imo quod magis est, quodque Principis *Guilielmi* mentem apertissime declarat, Historiarum & elegantiorum disciplinarum studiis tractandis duos præcellentissimos Viros, bina nitidioris doctrinæ lumina, *Joannem Sturmium* & *Joannem Sleidanum*, utrumque sub ditione sua in agro Juliacensi Sleidæ natum, manifestumque causæ Protestantium & quidem nostratium cum summa tamen moderatione & prudentia assertorem, destinaverat, et si posterior Sleidanus jam tum, cum superius memorata hujus Academiæ privilegia transmitterentur, diem supremum Argentorati obiisset, teste Guernero Teschenmachero in præfatione ad Repetitionem brevem Catholicæ & Orthodoxæ Religionis Heresbachianam. Nam Sturmius adhuc diu postea usque ad decrepitam ætatem vixit, nec ob aliam, sicut videtur, causam egregium illum Heresbachii in Psalmos Davidicos Commentarium tam pia, tam facunda, tam sapiente & erudita præfatione auxit, ut huic Sturmianæ similem vix ullibi terrarum à quoquam scriptam lectamve fuisse pene affirmare ausim; certe ut ea unumquemque Lectorem veræ pietatis ac prudentiæ cultorem, si tales libri modo hodie tererentur, in summum stuporem & admirationem cum lacrimis simul & lætitia conjicere debeat. Ex his omnibus liquido constare putamus, Auditores, si Principis hujus *Guilielmi* consiliis exitus respondisset, nos heic locorum Academiam non Pontificiam, non Lutheranam, sed plane Erasmicam habituros

fuisse, hoc est, ut rem accuratissime percipiatis, Romani Præfulis eatenus cultricem, ut ei primus inter omnes reliquos honos, nulla vero fanciendi dogmata potestas concederetur; in reliquis si non omnibus, certe præcipuis Melanchthoniano more, Helvetiorum, id est nostratium, castra constanter ac vere secutam.

Cur autem, Auditores, huic, ut sic loquar, Academiæ ædificio, post usitata privilegiorum fundamenta jam posita non ipsa etiam coronis addita fuerit, sed totum illud negotium per annos nonaginta pluresque suspensum manserit, causæ sæpe multiplices eæque gravissimæ fuerunt. Nam ut de hemiplexia taceam, qua sanctissimus Princeps *Guilielmus*, non sine incredibili hujus & vicinarum regionum luctu & mærore, cum animi & corporis debilitate paulo post correptus fuit, quæque ei ad extremam usque senectutem adhælit non minus, quam Filio unico superstiti, *Joanni Guilielmo*, illustrissimo Successori, eadem velut hereditaria calamitate deinceps laboranti, quis in historiis superiorum temporum paulo versatior ignorat, quam tristia, quam luctuosa, bellis horribilibus & ultra octoginta annos perpetuo furore debacchatis exulcerata tempora statim exorta fuerint, quorum infinitæ calamitates his etiam inprimis regionibus sine intermissione incubuerunt. Septem vicini Belgicæ fœderatæ populi, quibus se non pauca in Flandria & Brabantia civitates adjungebant, inhumanum illud ac vere intolerabile Hispanorum jugum cervicibus suis excusserant, morituri potius, & per omnes etiam dirissimos cruciatus, gladios, flammæ, eculos quævis extrema passuri, quam colla sua tam tetra servituti & cyclopicæ immanitati iterum subdituri. Hoc fonte derivata clades in hanc simul Clivensem connexasque regiones fluxit, ob viciniam protinus iisdem turbinibus involutas. Hispani enim, ut amissa recuperarent, cælum terramque, & si Superos flectere non possent, inum videbantur Acheronta movere. Ea enim impotentissima non minus mentibus conscientisque quam terris & corporibus dominandi libido, quæ postea Gallos quoque, gentem minus austeram, contaminavit, solos fere tunc temporis Hispanos, certe præcipuos, usque ad insaniam exagitabat. Cumque in ipsa fœderatarum gentium viscera non aliter sæpe, quam à tergo vel latere se penetrare posse crederent, universus hic tractus, sub debilitato morbis annisque Principe omnibus injuriis obnoxius, infelix erat ac luctuosa fereque perpetua Bellonæ sævientis arena; his in ea, quæ sibi erepta fredebant, irrumpere, illis irrumpentes repellere gestientibus, utrisque autem, ut sit, omnem viciniam quaquaversus patenter macerantibus.

Accessit

Accessit deinceps igni per se jam satis ardenti incendium longe teterrimum. Extincta enim paulo post initium seculi superioris universa indigenarum Principum cum *Joanne Guilielmo* mascula progenie, orta que ob successionem Juliensem, sicut vulgo appellant, opimam sane hereditatem, plurium competitorum fervidissimas cupiditates ex diversis causis irritantem, inter duas præcipue serenissimas Domos, Brandenburgicam & Neoburgicam, disceptatione, hæc jam satis afflictæ regiones, & ardentibus proximi Ucalegontis parietibus in maximum discrimen adductæ, novis iisque longe gravioribus flammis, interiora quævis penitus absumpturis, corripiebantur. Utentes enim hac occasione Hispani, fortassis etiam, ut dici solet, in turbido piscari volentes, sub specioso Neoburgicas partes tuendi titulo, simulque ut Belgis fœderatis acrius insisterent, non obiter amplius instar latrocinantium limites harum regionum atrectabant, sed aperto jam Marte universum hunc tractum inundabant, quod Belgæ fœderati venientibus malis occursuri sibi ex jure belli nequaquam interdictionem esse censabant; idque tanto licentius, quanto magis, Principe harum regionum diuturno morbo laborante auctoritatis ejus aciem quotidie hebescere, constabat. Omnes obices, omnia repagula perfracta videbantur, nihilque amplius obstare, quin tota hæc regio tam vasto bellorum gurgite penitus absorberetur. Præter Resam, Embricam, pluresque Urbes & oppida, ex insolenti Fortunæ crudeliter jocantis ludo fere quotannis dominos & possessores suos alternantia, vel sola Vefalia per plures annos ab Hispanicis vulturibus infesta, imo vel solum Duisburgum nostrum, futura Academiæ sedes, pro arbitrio occupatum possessumque, temporum illorum faciem testatur. Omnia quotidianis rapinis exinanita, ignibus & ferro vastata, cædibus oppleta erant, toto vicino tractu direpto ac cruentato, ipso etiam Wirico Comite Daunensi in proxima arce Bræckiana prope Mulhemium ad Ruram contra datam fidem crudeliter trucidato. Hæc, inquam, satis indicio sunt, quam nihil ab eorum unguibus tutum, nihil satis remotum septumque fuerit. Nam de tertio illo atrocissimo bello, universam Germaniam nostram tunc pervagato, & per triginta annos crudeliter grassante nihil adjiciemus. Ubi omnes misere premuntur, nemo suas calamitates velut seorsim toleratas deplorare debet; etsi miserrimum sit solamen, nec sapientiæ præceptis tincto dignum, malorum habuisse socios. Quem enim aliena felicitas urit, indignus est propria. Si autem ex summi Romanorum Oratoris sententia inter arma leges filere consueverunt, quis à Musis, pudicissimis illis Virginibus, postulabit, ut inter raucos tympanorum

panorum ac buccinarum strepitus bellicosque fragores cantare incipiant?

Durarunt hi catenati omnium calamitatum labores usque ad medium superioris seculi, annum videlicet ejus quadragesimum octavum & quinquagesimum; quibus tandem pacificatione Monasteriensi, ac mox Noribergenti transactione ut toti Germaniæ, sic etiam his regionibus ad inferiorem Rhenum fitis repente nova lux oboriri cepit, omni caligine dispulsa; ut cælum serenius, aër ipse purior atque salubrior fieri videretur. Ingenti enim animorum æstu, qui initio ejusdem seculi circa res sacras in Germania Lojolicis instigationibus ebullire cæperat, paulisper iterum composito, non odium quidem extinctum, sed furor refrænatus erat. Halcedoniis ita reductis magis serio de aperiendo novo Athenæo, quod dudum huic Urbi destinatum erat, cogitari cæptum est; cujus tandem aliquando obtinendæ spe jam antea nonnulli vel privatim, ut incomparabilis ille *Cosmographus*, *Gerbardus Mercator*, vel publica quadam auctoritate, quamvis sine peculiari dignitatis ejus titulo, una cum politioribus literis varias quoque scientias in ipso Gymnasio ingenuæ juventuti tradiderant, aliquam Academiae umbram, ut *Hermannus Hamelmannus* loquitur, repræsentantes; *Henricus* videlicet *Geldorpius*, *Joannes Otto* & *Joannes Molanus*, omnes Belgæ & ob gravissimam persecutionem in Germania inferiore excitatam ex decumanis bellorum fluctibus in hunc quodammodo portum delati; ne *Joannem Ewichium*, Juliacensem, Virum pietate, doctrina, morumque comitate conspicuum, ne *Henricum Smetium*, *Joannem Corputium*, duos Belgas eximios, similesque plures, variis scientiis æternitatem nominis promeritos, sibi tamen suisque Musis hic tantum per aliquod tempus canentes, attingamus. Novissimè & paucis ante inauguratam Academiam annis idem majore fere conatu *Isaacus Cramerus*, *Eucharis Cancrinus*, *Joannes Gualterus Biermannus* tentarant, ventilatis etiam interdum in altero minore Auditorio disquisitionibus publicis, de particula quadam Theologiæ aut Philologiæ sacræ conscriptis.

Ergo re tantæ molis tandem, sicut videbatur, ad maturitatem perducta solennem Lycæi tam diu sperati dedicationem omnes avidissime anhelabant. Ordines totius regionis statò tempore convenire soliti huc curas & cogitationes convertebant. Synodus quoque generalis jam tum per quadraginta pluresque annos ex Abrahami Sculteti, summi Viri, consilio (qui primæ scilicet anno decimo superioris seculi,

seculi heic celebratæ velut hospes & amicus interfuerat, sicut ipse in memorabilis vitæ suæ curriculo, quod ejus manu propria subscriptum nosmet habemus, testatur) quovis triennio in hanc urbem confluens ad salutem ecclesiarum procurandam, dudum nihil magis in votis habuerat, quam ut hoc pacto sibi suorumque commodis, ipsisque non minus sacris quam civilibus rationibus in hoc Germaniæ tractu consuleretur. Magistratus denique & cives novum huic Urbi, regiæ quondam Francorum sedi, nundinis & mercatura celebri, decus atque ornamentum cum singulari fructu conjunctum augurantes, ut favorem lætitiæque declararent, Auditorium illud minus dono offerebant, hoc tantum stipulati, ut in eodem quotannis binis vicibus scholasticæ pubis lustratio perageretur.

Nec vana erant vota sub tanto Principe, quantus *Fridericus* erat *Guilielmus*, Heros Brandenburgicus, rebus pace belloque gestis Magni cognomen adeptus, cujus potissimum auctoritas & indulgentia requirebantur. Hic præter plurimas amplissimas regiones & provincias, quas à serenissimis Majoribus suis acceperat, etiam amica cum Neoburgicis Principibus divisione facta hanc optimæ hereditatis partem cum Marcano & Ravensbergenfi tractu fortitus erat, nihilque consultius arbitrabatur, quam ut recens acquisitis regionibus, tam diuturna bellorum serie laceratis, novus nitor, ut aliarum quarumvis artium per urbes & agros exercitiis, ita etiam scientiarum cultu conciliaretur. Eo simul cardine verti videbatur utilitas subditorum, emendationum Sacrorum conservatio, vitæ civilis necessitas, privatæ cultus & elegantia. Hac igitur clementissimi Principis voluntate cognita signum erat sublatum non solum ad bene sperandum, sed etiam ad rem ipsam intra breve temporis spatium in actum deducendam. Duo insignes Viri, tanquam futuri Doctores, jam in antecessum Herborna arcescebantur, *Joannes Claubergius* & *Christophorus Wittichius*. Si semper, ut Peligno Vati videtur, omnia solent principiis inesse, non nisi bona prosperorum successuum spe se Duisburgenfes lactare poterant; tanto etiamnum in honore versantur hi primi scientiarum Antistites, pietate, doctrina, scriptisque quam plurimis, non minus pacificam mentem, quam variæ doctrinæ limites ulterius proferendi studium spirantibus, per orbem terrarum celebres. Nec enim dubitabant illi conditionibus oblatis uti, laresque suos in hanc Urbem transferre; quò cum venissent, insignem juvenum bonæ mentis, ejusque majoris culturæ studiosorum, & magis magisque quotidie confluentium gregem scientiis utilibus imbuebant; quibus *Tobias Wittichius* *Christopho-*

stophori Frater, postea res serenissimi Electoris Aquisgrani sub Consiliarii illic residentis nomine procurans accesserat, Eloquentiæ & Juris Romani præcepta, velut promulsi dem, harum scientiarum studiosis daturus; donec ipsa dedicatio Lycei perageretur.

Accuratius interea mandatum à serenissimo ac potentissimo Musageta *Fridérico Guilielmo*, Electore Brandenburgico, simulque harum regionum justissimo Possessore, veniebat de acceleranda tam necessariæ Palæstræ inauguratione. Ab eo annui simul reditus ad alendos quarumvis scientiarum Doctores promittebantur, iis addendi, qui jam in promptu essent, aut illustrium hujus regionis Ordinum Civiumque liberalitate capiendi erant.

Sic tandem factum est, Auditores, ut omnibus difficultatibus jam profligatis certus dies perficiendæ rei præfigeretur. Erat is hic ipse decimus quartus Octobris dies, quem nunc quoque post centum annos per infinitam supremi Numinis misericordiam celebramus. Antequam vero hic illucesceret, protinus de vocandis reliquis, iisque celebribus ac idoneis quarumvis artium & scientiarum Professoribus cogitatum fuit. Sex initio sufficere videbantur, donec ærario magis locupletato plures adjici possent; duo nimirum Theologi, *Joannes Claubergius* & *Martinus Hundius*; quia Christophorus Wittichius paulo ante memoratus operam suam vicinis Neomagensibus in Urbe sua similiter Academiam molientibus, quæ postea Harderovicum translata fuit, jam addixerat, etsi hujus Palæstræ dedicationi ipse præsens interfuerit, eodemque in publica pompa, quo reliqui novi Doctores, honore gavissus sit; duo item Jurisconsulti *Hermanus Rhamackerus* & *Joannes Weyerstrassius*, unus Medicus *Joannes Bernhardus Danielius*, unusque Literator & Historicus *Joannes Schuldingius*, cum civilibus Ecclesiastica, cum Romanis etiam Græca conjuncturus. Philosophiam enim Literasque & Antiquitates sacras ab uno Theologorum rite commodè tractari posse rebantur, donec auctis reditibus annuis, harum scientiarum provinciæ Viris quibusdam præcellentibus, & huic uni curæ vacaturis similiter imponerentur.

Quod itaque felix faustumque erat, quodque divinum Numen, misericors Deus, immeriti sui favoris aura inter gravissimos etiam bellorum fluctus & tempestates postea semper profequutum fuit, inauguratio peragebatur; cujus solennitati necessaria præparanda jam curaverant ii, quorum laudabili fervori princeps Athenæi cura peculiariter

liariter demandata erat, *Bernsavius* ac *Dieftius*, illustres Viri, mox uberius commemorandi. Aderant hi ipsi; aderat præcipuus omnium, reverendissimus ac cellissimus Nassoviorum Princeps *Joannes Mauritius*, harum regionum nomine serenissimi Electoris Gubernator, cum magnifico Procerum Clivensium Collegio à cohorte civium militari prope Rhenum devote exceptus, & in Urbem inter omnium campanarum strepitus hominumque acclamationes deductus, ut illustri sua præsentia dedicationis solennia sanciret atque cohonestaret. Ab hoc cum novi Professores post factam de adventu gratulationem per Oratorem suum & Collegam *Joannem Schultingium* sibi brevi sermone negotii suscipiendi potestatem petiissent, solennis illa processionis pompa ad Ædem Salvatoris inter omnium iterum campanarum sonitus, inter æneorum tormentorum fragores, inter tubarum ac lituorum modulatissimos cantus inchoata est, tenero scholasticæ pubis per suas classes distincto grege præcedente, ut ibi primum ad benedictionem divinam in tanti ponderis negotio obtinendam fufis per *Martinum Hundium*, alterum Theologum, precibus concio vernaculo sermone haberetur. Sequebatur alia militaris æneatorum turba jam non mares in prælia classicis exacuens, sed Sacra Palladis concelebrans. Hanc statim Vir generosissimus Gubernator & Satrapa Meursensis excipiebat, claudentibus latus utrinque duobus Filiis. Post præmissa deinde novi Athenæi insignia, privilegia Cæsarea, Electoralia & Papalia, sigilla, sceptrâ bina argentea, similiaque plura, singula à sex nobilissimis Equestri dignitate Juvenibus portata, primus incedebat ipse cellissimus Princeps *Joannes Mauritius*, quem Comes illustrissimus Leiningensis & Brækianus cum Filio suo sequebatur. Præcipui deinceps Proceres Clivenses ingrediebantur, quorum semper duo unum ex novis Professoribus deducebant medium. Horum agmen claudebat innumerabilis hominum spectatissimorum multitudo, Urbium vicinarum & Ecclesiarum Legati, Synodorum Præsides, Officarii, Doctores, Pastores, Scholarum Moderatores, similesque plures ex hac aliisque civitatibus confluentes, præter florentissimam cujusvis doctrinæ Studiosorum coronam; ne de incredibili ceterorum hominum, quos aviditas huc traxerat, civiumque globo dicamus.

Peractis deinde post Homiliam sacram precibus, & sine Musicis concentibus impolito, Vir amplissimus *Joannes Dieftius*, Clivensium & Marcanarum ditionum Director ac Procancellarius, eundem suggestum conscendit, habitoque sermone Latino brevissimo,

omnia cimelia, quibus huic Academiae totique Senatui vel in suos cives potestas cum mero mixtoque imperio confirmatur, vel ornamentum decusque adjungitur, hoc est, Privilegia Statutaque, iustis ut antea diplomatibus comprehensa, sic tunc ab insigni Jurisconsulto & Clivensium Archivario *Adolpho Wusthausio* primum praelecta, & in Archivis custodienda, porro Sigilla, matriculam Juventutis Academicæ, Protocolla, cum Sceptra tantæ potestatis insignibus, adjecta semper quorundam verborum formula, loco celsissimi Principis *Joannis Mauricii* ipsam potentissimi Electoris personam representantis, Professoribus tradenda curavit, jurisjurandi religione prius Deo & serenissimo Conditore obstrictis; statimque finitis his ceremoniis Fratrem suum germanum, *Henricum Dieftium*, vocavit, sibi que in suggestu ad reliqua solennia rite peragenda succedere iussit. Is enim antea in Embricensium & Harderovicensium, tum vero Daventriensium cœtu illustrique simul Gymnasio sacrorum Mytteriorum publicus Doctor & Interpres, data opera huc arcessitus erat, ut toti operi perficiendo habita luculenta oratione coronidem imponeret, *Claubergium*, *Wittichium* & *Hundium* laurea consueta cohonestaret, ac demum postero die eundem *Claubergium* annum primum Athenæi Rectorem renunciaret, qui deinceps reliqua sua auctoritate procuraturus esset, ac postea Successoribus per consuetas vices ex quavis Facultate constituendis ad feros usque posteros lampada relicturus.

Audivistis, Auditores O. O. honoratissimi, prima hujus Academiae fundamenta per serenissimum Clivensium, Juliacensium & Montensium, connexorumque populorum Principem *Guilielmum* jacta; audivistis natales ejus primos & incunabula iis temporibus cæpta, quibus per Germaniam vicinasque regiones nova quædam lux in doctrina cœlestis Veritatis oboriri, sed ingentibus quoque passim machinis novos fumos ac nebulas excitantibus oppugnari cæperat; audivistis porro varias ac plerumque luctificas rerum temporumque vices tanti negotii successum per plurimorum annorum seriem sufflamantes; audivistis denique lætissimam rerum catastrophem, hoc est, nebulis nubibusque dispulsis, cum revertente temporum sudo pacisque serenitate hanc sacram scientiarum Officinam rite solenniterque dedicatam. Multos sane scopulos, quibus rei literariæ salus, ne ad Academiae lumen emergeret, allisa fuit, præternavigavimus, donec victis tandem tempestatibus in ejus dedicationis portu confedimus. Ab eo tempore jam per centum annos hæc sedes Musarum infinita supremi Numinis misericordia & benignitate facta tecta que stetit, nec ullam  
vel

vel vix notabilem eorum, qui hic literis variisque scientiis tam diuturno tempore operati fuerunt, jacturam sensit, confluentibus huc quovis tempore velut ad mercatum quendam non paucis, etiam ex vicino sæpe Belgio fœderato, suos ceteroquin indigenas, ut notissimum est, non facile è sinu gremioque dimittere consueto, cum ipsum præclaris ac bene conititutis non minus artium liberalium & scientiarum, quam aliarum mercium emporiis ad stuporem usque repletum sit; quamvis hic in extremis Germaniæ finibus maxima ex parte aliorum Sacrorum cultoribus circumsepti ac penè stipati simus. Non hic ex hominum subiratorum dicteriis, uvam frustra appetitam carpentibus, censendum est; qualem Marquardum illum Gudium, Virum ceteroquin eruditissimum, post aliquam repulsæ speciem fuisse, ex ejus Epistolis, à Petro Burmanno cum Sarraviano literarum commercio publicæ luci commissis, patet. Non hospitem aliorum judicio standum, qui hæc loca inter medios belli strepitus & omnium formidinem transferunt; qualis notissimus illius Itinerarii fuit Auctor, Joannes Missonium, eo ipso tempore has regiones perlustrans, quo gravissimi ob Hispanicam successione moti belli moles ubique finibus nostris imminebat. Non denique ex anilibus delirorum, præsentia semper fastidientium, nugamentis, sed ex ipso Albo, ex ipsis tabulis judicandum est, in quas eorum nomina, qui in his Musarum castris velitandi ac militandi notitiam imbibere voluerunt, relata sunt, ac quotannis adhuc referuntur. Immanem profecto exercitum efficerent, qui per tot annos hic literis variisque scientiis operam dederunt, cujuscunque dignitatis ac profapiæ Juvenes, verè ver sacrum, & examen memorabile, quod deinceps per multas totius Germaniæ regiones, in Ecclesias, in Aulas Principum, in innumeras Civitates Urbesque dispersum fuit. Tanto magis hoc mirandum est, quia posterioribus his temporibus Academiæ magis magisque usque in hodiernum diem multiplicatæ sunt, ut Germania nostra, non minus quam Belgium fœderatum, penè earum potius multitudine, quam penuria laboret. In hoc posteriore quam non inito quasi certamine, post Leidensem porticum primum ab Hollandis Zelandisque constitutam, ne liberæ gentis Juventus Lovanientium dogmatibus imbueretur, inter reliquos ibi populos de novis Sapientiæ domiciliis cogitari captum est? Intra artissimos enim terræ limites præter tot illustria Gymnasia quinque justas scientiarum & artium Palæstras numerare licebit; cum tempore magni illius Erasmi Goudæ concepti, Roterodami in lucem editi, tanta illic Literarum & Literatorum esset sterilitas, ut ejusmodi Officina plane nulla reperiretur, & Vir ille

incomparabilis extra patriæ fines in Angliam Brabantiamque, & appetente jam senio in ultimas Germaniæ oras, Brisgoam Helvetiamque quasi exulare cogeretur, ubi hominum eruditorum consortio frui, scætusque suos Frobenianis formis feliciter in lucem producere posset. Adeo tempora quævis variis vicibus ac mutationibus obnoxia sunt. Quis vero sanæ mentis compos mirabitur, Juventutem in tot Academiis per omnem Germaniam multiplicatas dispersam in singulis sæpe locis infrequentiore esse factam? Si modo reipublicæ semper consultum fuerit, promiscuam quamvis multitudinem sine omni ingeniorum delectu sacris literarum & sapientiæ penetralibus, obtrudi, ubi scilicet ex omnibus stipitibus statim Mercurii fabricentur; de quo vehementer inter prudentes dubitatum fuisse novimus, hic vero latius differendi tempus non conceditur. Nemo igitur, nisi tardus rerumque ac temporum ignarus, diu causam quæret, cur olim, cum tales penè nullæ in vastissima Germania, aut certè paucissimæ Literarum Palæstræ reperirentur, tot tamque stupenda discentium millia in una Prageni recens condita tempore Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis commorata fuisse dicantur; ne aliarum vetustissimarum exemplis vos detineamus. Quamquam nec ipsis sæpe narrationibus fides adhibenda est. Verè enim Romanus Scriptor nitidissimus dixit, famam nunquam ad liquidum perducere; omnia ea tradente vero majora esse. Nihil magis lubricum est, quam vel hominum superciliosorum fides & jactantia, vel ignobilis vulgi ad quævis credenda proni futilitas.

His addamus licet, quod nulla à morientibus aut vivis beneficia contigerint, sicut omnibus ferè ceteris, nulla deinceps congrua, quibus Academia reapse frueretur, quorumque subsidiis & emolumento Seminaria Juvenum gratuito victu gaudentium institui potuissent, qualium vel solorum multitudo plerisque Lycæis non exiguam frequentiam nomenque conciliare consuevit; etli potentissimi Conditoris magnanima liberalitas eandem quoque felicitatem huic alumnæ suæ, jam viis etiam mediisque quibusdam indicatis, acquirere voluerit; quæ nescio qua scævæ fortunæ pertinacia, aut quorum hominum non satis, ut recordor, honorifice de talibus adminiculis sentientium culpa retardata fuerunt. Nihil ejusmodi post conditam Academiam prædicandum habemus, præter beneficium Viri amplissimi ac consultissimi *Arnoldi Goorii*, Meursensis, quondam in Academia Trajectina practicæ Philosophiæ per annum Doctoris publici, tunc vero in patria sua, vicino tractu Meursano, serenissimi Principis Arausionensis Thesaurarii. Is enim proluxa sed alterius tamen generis

generis liberalitate decus aliquod & ornamentum huic Academiae afferre voluit, dum Bibliothecam insignem, quam collegerat Frater ipse, ut aliquando fieret publica, huic nostro Athenæo, demta tamen Juridica suppellectile, consecravit, quæ non exigua talis thesauri etiamnum pars, ac prope initium est. Decennio enim, postquam ejus dedicatio peracta fuerat, elapso, id est, anno superioris seculi sexagesimo quinto illud contigisse cognovimus. Primam Musicarum istiusmodi lautitiarum descriptionem nobis exhibuit *Gerardus Maastrichtius*, Vir singulari pietate simul & eruditione non vulgari conspicuus, tum Juris & Historiarum doctrinam in hoc Athenæo professus, ac postea illustris Bremensium reipublicæ Orator, verusque Polyhistor. Nec cessatum est deinceps istam suppellectilem novis accessionibus paulatim locupletare, coemptis etiam, quantum fieri potuit, interdum pretiosissimis tam impressis, quam manu exaratis Codicibus; sicut etiam antea nonnihil ejusmodi mercium obtigerat, interque eas quædam Ciceronis, Julii Cæsaris, Virgilii, Flori, Justini, tum Lactantii & Augustini monumenta, partim in charta, partim in membranis exarata. Cum vero superioribus temporibus sæpe contingeret, ut quædam inde in aliorum usus concessa nunquam restituerentur, nec deinceps ab iis, quorum in manus casu quodam venerant, cognosci posset, cuinam deberentur, ita tandem penitus avolarunt, ut eorum vix memoria supersit. Hoc certè præter alia decantatis illis insauti Michaëlis Serveri opusculis tam insano pretio nonnunquam præstinatis contigit, quæ hic olim etiam ostentata fuisse ex celeberrimi Viri, modo memorati Maastrichtii Epistola discimus ad Burchardum Struvium conscripta, & ab hoc Introductioni suæ in Historiam literariam inserta. Hujusmodi jacturæ ne sæpius fierent, margini librorum *Bibliothecæ Duisburgensis* nomen injuri cæpit.

Quid jam de gravissimis bellorum tempestatibus loquar, quæ inamœna lituorum ac tubarum raucedine dulcissimis Musarum cantibus non semel obstreperunt? Rhenus, Rhenus noster, Princeps fluviorum, tot collium vitibus amictorum vicinia beatus, tot frugiferarum regionum limitibus felix, tot navium ac commerciorum frequentia lætus, tot vectigalium redditibus aularum luxuriæ commodus, quot idem quantorumque bellorum ab omni ævo spectator, Auditores, materies, theatrum fuit! Is, si quisquam alius, verum esse vetus illud dictum jam in Oriente, Eginhardo teste, celebratum confirmat, expedire Francum habere amicum, non vicinum. In lacrimas & suspiria eundem esset, si vivam ejus terroris & formidinis imaginem  
vobis

vobis exhibere vellemus, cum superioris seculi anno septuagesimo secundo tertioque, tum præcipue octavo & nono ob Gallorum irruptionem Musæ Duisburgenses penitus conticescere, ultimis etiam duobus solum vertere, & in vicinam Urbem Meursanam exulare cogerentur; quæ tum scilicet Principi Arausionensi parens extra teli jactum constituta videbatur, pace Gallos inter & Belgas, ceterosque iisdem fœderatos redintegrata, Brandenburgico autem Heroë Fridrico Guilielmo insolentium Gallorum intemperiiis & Suecorum pertinaciæ præter fas & æquum relicto. Sicut Virgines olim Vestales, Roma à Gallis Senonibus capta, in oppidum vicinum Cære cum igne suo sacro confugiebant, non siderum celestium simulacro, ut Florus ceterique Romani veteres gariunt, ipsi antiquissima Vestæ suæ mysteria non amplius intelligentes, sed flammarum & ignium subterraneorum toti illi tractui tam periculosorum placamento: ita Musæ quoque Duisburgenses, Virgines similiter innocuæ, hoc tantum solaminis & tutelæ sibi relicto esse gaudebant, quod desertis focus arisque propriis, ad continuandam disciplinarum, ne penitus extinguerentur, lucem vicinorum Meursensium hospitio uti tam benigne concederetur.

Feliciter tamen illæ ex his omnibus malis eluctatæ fuerunt, & singulari Dei benignitate, tum Principum Regumque divinitus nobis concessorum potentia conservatæ, ut, non sine grata beneficiorum memoria, præteritorum jam secure recordari, de futuris optima quæque sibi promittere, & hoc die, quod felix faustumque supremus rerum humanarum Moderator esse jubeat, alterum seculum in pace & tranquillitate ordiri queant, sub Rege clementissimo, sagi togæque artibus incomparabili Heroë, ac verò totius orbis, qua Sol oritur, occiditque, miraculo.

Restat, Auditores honoratissimi, ut brevem nunc imaginem eorum exhibeamus, qui tam diuturno centum annorum jam præterlapsorum spatio hujus Academiae Sacris in quavis scientia vel arte feliciter operati fuerunt. Nec justam tamen Academicæ totius, ut sic loquar, Historiæ compagem, dum singulos, qui Musis hic operati fuerunt, Doctores recensco, exspectate. Non ille paucarum aliquot horarum, sed multorum dierum labor foret. Cogitate quæso, Auditores, me, dum nomina vobis commemoro, adjecto interdum uno alteroque vel dicto quodam vel facto casive singulari, quasi vagas quasdam in litore conchulas & umbilicos lectitasse, latissimi maris, unde ejecti fuerant, indices.

Pri-

Primis Academiae nostrae constituendae Duumviris, *Wivico Bernsawio*, Viro Majorum ceris & imaginibus inclito, *Bellinckhaveri* ac *Rhunenfi Toparchae*, & *Joanni Dieftio*, supremo Justitiae per has regiones administrandae Directori ac Procancellario, visum erat, sex Professores initio sufficere, qui divinas humanasque scientias & earum Sacra tractarent, donec major eorum numerus institueretur, quod proximis annis statim factum est. Eorum primicerius erat *Joannes Claubergius*, nativitate Solingenfis, insignis non solum Theologiae juxta magni Cocceji, talem apud Bremenfes statuam, qualem à Roterodamensibus suis Erasmus accepit, promeriti normam magis illustratae, sed etiam Philosophiae, inprimis Cartesianae, tum caput extollere incipientis, Promotor & Antistes, ab ipso etiam Cartelio ob ordinis concinnitatem facilemque methodum prae reliquis commendatus. Is *Herborna Nassoviorum*, sicut diximus, jam ante biennium una cum *Christophoro Wittichio* vocatus in hac arena proluserat ei gloriae, quam togata decem annorum militia deinceps sibi peperit. Diutius enim post Academiam conditam eum rebus humanis interesse, & voce scriptisque suis tam cultioris doctrinae, quam sapientiae studiis infervire manus invida Parcarum prohibuit. Fama est, Auditores, illustrem Leibnitium serenissimi Novemviri Hanoverani, ac deinde potentissimi magnae Britanniae Regis, nomine quatuor milia coronatorum Claubergianis heredibus obtulisse pro redimendis tanti Viri de causis Linguae Germanicae commentariis, quos vivus promiserat, sed quorum reliquiae propter negligentiam & imperitiam sequioris sexus heredum (masculos enim reliquit nullos) praestari non potuerint, schedis omnibus disjectis & confusis. Nec illud, quod narratur, à veritate alienum esse, vel hinc suspicari licet, quia idem Leibnitius exiguum illud, sed acutissimum Claubergii Schediasma olim hic Teutoburgi anno praecedentis seculi sexagesimo tertio impressum de arte etymologica Teutonum ex Philosophiae fontibus derivata, tanto cum elogio Collectaneis suis Etymologicis inferendum, & ab editore Joanne Georgio Eccardo in praefatione tot laudibus in caelum evehendum curavit. Ex his Claubergii parergis de ceteris ejus longe potioribus, & à *Schalbruchio Henninioque*, Viris doctissimis, in unum Volumen olim congregatis, ac Amstelodami editis Scriptis & Virtutibus judicare potestis. Claubergio adjunctus erat *Martinus Hundius* fidus ejus Amicus & velut *Achates*, Joannis Hundii, Viri de sacris Reformatorum per has regiones ceteribus & doctrinae sinceritate conservanda meritissimi Filius, natus quidem *Dusseldorpii*, sed ex illustri *Steinfurtensum Arnoldino*, ubi haecenus

sacras Literas docuerat, in hanc Academiam & Ecclesiam vocatus. Ex primis enim Theologiæ Professoribus nonnullos, Hundium scilicet hunc nostrum, ac deinceps Joannem Hermannum Hugenpottium & Petrum Maastrichtium, simul in publico civium cœtu Oraculorum divinorum Interpretes egisse, satis constat, donec causæ adessent, cur ejusmodi consuetudo & duplicis provinciæ onus abrogaretur. Mutuæ Claubergii & Hundii Dissertationes uno Volumine comprehensæ etiamnum testantur, quanta Virorum istorum familiaritas & amicitia, quanta in promovendis diviniorem Scientiarum finibus sedulitas fuerit & contentio. Sed Hundii mors intempestiva proximo post extinctum Claubergium anno secuta incredibili mœre universam Academiam contriitavit. Nec silentio præterire possum, me ante quinquennium hujus Martini Hundii Filiam adhuc supersistentem, sanam valentemque, quamvis grandævam Matronam & ætate decrepitam, Steinfurti vidisse, cum illic itineris aliò faciendi molestias aliquot dierum quiete abstergerem, & interea mirifice, sicut recordor, latentem eam lætus ipse salutarem, cujus benedictæ memoriæ parens ante centum annos jam fere præterlapsos inter primos hujus Academiæ Doctores fuisset. His viventibus adhuc duobus adjunctus deinde fuit tertius *Samuel Dieftius*, Henrici illius Dieftii, qui hanc sacram Officinam, sicut supra memoravimus, inauguraverat, Filius non ineruditus, etsi diversam à ceteris in Theologia pariter ac Philosophia methodum secutus, quod ejus Scripta hic alibique in lucem edita non parum testantur. Hac enim statione post aliquot annos iterum relicta deinceps vicinis Gelris in Academia Harderovicena operam suam addixit. Memorabile est, Auditores, hunc Virum propriis sumptibus, ad Francisci Raphaelengii Lugduni Batavorum, ubi publicum simul Doctorem agebat, idem præstantis exemplum, Typographiam erexisse, cujus commodi difficultate hic antea nonnihil laboratum fuerat, eique Franconem quendam Sassium, civem Harderovicenum, præposuisse, cui deinceps ab abeunte vendita per longum temporis spatium dicta fuit Sassium. Velut Claubergio *Christophorus Fridericus Crellius*, ita Hundio successit *Joannes Hermannus Hugenpottius*; quorum ille Berolinensis & erudita celebrique per Marchiam Brandenburgicam ac Misniam Crelliorum gente, cum Franco-nicis illis Crelliis Socinianis neutiquam confundenda, genitus, per dimidium fere seculum, per annos nempe tres & quadraginta sacratioris scientias tractavit, utpote qui jam antea ex scholarum hujus Urbis trivialium pulvere ad Cathedram sublimiorem vocatus per septennium Philosophiam docuerat: *Hugenpottius* verò Meursanus,

ac

ac primum in vicino oppido Rurortensi, deinceps autem apud Elberfeldenses in Ecclesia sacro ministerio functus per decennium Theologiae mysteria cultoribus ejus Juvenibus intillavit. Eodem fere tempore huc ex Academia Viadrina arcessitus fuit *Petrus Maftrichtius*, nativitate Colonienfis, veritatis & fidei nostrae diligentissimus Assertor, Vir pius inprimis ac practicae Theologiae, cujus peculiari titulo gavifus est, Promotor Cultorque vere laudabilis, & sanè tali nomine, talique sparta super omnes Stentoras dignissimus, quod Scripta ipsius cum doctrina singularem morum quoque sanctitatem spirantia, hic ac deinceps in Trajectina Academia luci publicae donata, satis superque testantur. Eò enim tandem delatus, ac ccelebs postremo moriturus viginti florenorum Hollandicorum millia supremis tabulis Athenaeo legavit, pro alendis quibusdam sacrarum Literarum cultoribus in re angustiiori constitutis, quod ejus Frater ex asse heres, *Gerhardus Maftrichtius*, adeo pro pietate sua non impediendum censuit, ut potius tantae liberalitatis suasor extiterit, currentique, licet alias natura claudicaret, ut dici solet, calcar addiderit. Duo mox alii nobis commemorandi veniunt, *Joannes Jacobus Gantesvilerus* & *Henricus Hulsus*; quorum ille Basileensis, & jam antea nomen aliquod in Herbornensium & Hanoviensium Gymnasiis illustribus lucratus, per annos tredecim unà cum Literis & Antiquitatibus sacris Theologiam in hoc Sacrario diligenter professus est, quoniam *Guilielmus Momma*, qui Maftrichtio Successor destinabatur, opinione citius apud Hammonenses defunctus, obtineri non potuerat: *Hulsus* verò in ipso juventutis flore ex vicino Montensium tractu, ubi jam privatus Scriptis quibusdam inclarescere caeperat, in hanc Academiam vocatus, ad extraordinariam primùm, deinceps etiam ordinariam Theologiae spartam administrandam, magno cum multorum, ac praecipue discentium applausu concursuque docuit, & per plurimos annos ad mea usque tempora (nam viventem etiamnum, quamvis pristino vigore defectum cognovi) laborum suorum telam tam Scriptis omnigenis per orbem eruditum divulgatis, quam viva voce continuavit. Ut enim variis ad diversas Theologiae partes, propheticam, philologicam, systematicamque pertinentibus monumentis, ita etiam polemicis Theologus ille, sicut vocari amabat, Brandenburgicus excellere voluit, controversisque non modo cum uno alteroque extraneo, sed etiam cum ipso laborum Socio, jam tamen in aliena Romanensium castra delato, graviter agitatis. *David* hic erat *Hugueninus*, Neocomensis Helvetius, ex Urbe vicina Vesaliensi, ubi Gallici cœtus pastorem egerat, huc accedens, & Gantesvileri loco unà cum literis Hebraicis, qua-

rum etiam manuactionem luci publicæ donavit, docendæ Theologiæ provinciam capeffens; quibus simul Oratoris sacri lingua Latina & Gallica, in quorundam extraneorum gratiam, concionaturi dignitas accessit. Extant etiam omnium istorum monumenta quædam publicis typis impressa. Nec male fortassis res successura fuisset, nisi domesticis rationibus imprudenter turbatis, & Sacris nostris temere ejuratis, insignem nomini suo maculam inuississet, quam institutis cum Hulsio velitationibus frustra deinceps eluere ac delere tentavit. Meliori omine huc deinde *Joannes Godofredus Bachmannus* apud vicinos Clivenses in lucem editus venerat, & jam datis aliquot eruditionis suæ Theologicæ pignoribus præclara quæque minabatur, nisi tot egregios conatus atque labores festinæ mortis acerbitas ante maturitatem perdidisset. Nec minoris ingenii dotibus *Ludovicus Hermannus Stumpsius* gente Palatinus pollebat, forte etiam plurium artium & disciplinarum præter Theologiam egregie gnarus, ut Viri doctissimi Scripta plurimum nitoris præ se ferentia fatis superque testantur, multo quoque majoribus, quorum jam lineas duxerat, gratam posteritatem procul dubio sibi obligaturus, nisi fortunam nimis crebro novercam sensisset. Cujus incommodi an ipse sibi faber exstiterit, qui antea in Moscoviam usque illustrissimum Aulæ Brandenburgicæ Legatum Prinzenium, nostris olim quoque Musis pro virili concelebratum, comitatus erat, eaque forsân occasione veteris illius dicti, magnum vectigal esse parsimoniam, oblivisci cæperat, nec mihi vacat, Auditores, inquirere, nec vobis audire, satis hinc, ut opinor, Viri cetera non illaudabilis doctes ac merita cognoscere valentibus. Eorum, qui sequuntur, *Christophori Raabii*, *Joannis Christiani Loërsii* & *Guilielmi Neubusii* recentior est memoria, quam ut talium Virorum imaginem quisquam jure meritoque à me exigere debeat, præsertim cum singulorum fata meritaque peculiaribus libellis illorum posthumæ memoriæ consecratis ipsemet ex laudabili Majorum consuetudine recensuerim. Vivorum autem, ut Velleji Patreculi, Scriptoris acutissimi, verbis utar, tam eorum, qui nos invitos reliquerunt, *Danielis Gerdesii* & *Eberhardi Henrici Danielis Stofchii*, insignium hodie in Groningensi & Viadrina Academia Theologorum, quam præsentium, ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

Jurisconsultorum & Medicorum cum paulo major sit numerus, verbis etiam, Auditores honoratissimi, paulo magis in compendium redactis utendum erit. Primam Jurisconsultorum bigam *Hermannus Rbamakerus*, simul etiam Senatui ab Actis & Secretis, cum  
nondum

nondum peculiaris hæc cura alicui commode satis mandari posset, existens, & *Joannes Weyerstrassius* constituerunt, Viri, sicut apparet, non minus candore atque diligentia, quam doctrina conspicui. Sed eos acerbæ mortis violentia diu superesse non sivit. Priorem, nisi fallor, *Iserlonensem*, nobis illustre *Nassoviorum* Gymnasium concesserat, ubi dotes ejus, animus pacificus & eruditus, jam *Claubergio* velut amico singulari innotuerant. In ejus Viri sexennio vix exacto defuncti locum successit *Joannes Godofredus Langenbergius*, *Wipperfordæ* in vicino tractu *Montensi* natus, & in gente materna celeberrimum *Omphalorum* imagines recensens, variis quoque dissertationibus in lucem editis, & publicè ventilatis non minus, quam præcedentes, bene de *Juris* scientia mereri conatus. *Weyerstrassio* autem *Jurisconsulto* valde religioso, simulque ob insignem in obeundis omnibus muneris sui partibus assiduitatem laudabili, tum adhuc superstiti, & modo memorato *Langenbergio* sociatus est egregius *Themidos* Sacerdos *Gerhardus Feltmannus*, ut numerus ita ternarius, postea fere semper observari solitus, compleretur. Erat hic *Feltmannus* nativitate *Clivensis*, non solum *Juris* utriusque disciplina, sed variis præterea scientiis imbutus, ameno pariter alacrique ingenio præditus, sicut ejus scripta quamplurima, cultioris aliquod *Jurisprudentiæ* genus, hoc est, unâ cum *Legum Romanarum* notitia literas elegantiores & *Historiarum* cognitionem spirantia, testantur; quæ nuper, sicut accepimus, apud vicinos iterum *Belgas* ob utilitatem & præstantiam avidè cæperunt conquiri, ut aliquot voluminibus junctim luci publicæ redonentur, una cum *Auctoris* biographia; ad quam concinnandam nos ipsi de spicis etiam nonnullis conferendis admoniti sumus. Non igitur mirum esse debet, si post annos non adeo multos, quibus huic *Academiæ* inservivit *Vir* talis, ejusque dignitatem ac privilegia contra nonnullos scævos & malevolos obtractatores mascule tueri studuit, ad altiorem dignitatis gradum eventus fuerit, in aulam tandem *Orientalis Frisiæ* vocatus, ut ejus serenissimo *Principi* à consiliis secretioribus, simulque totius illic *Justitiæ* Director ac *Cancellarius* esset. Velut inter ignes minores *Luna* resplendet, ita *Fuchsum Sidus* inter omnes micat, cujus radiis & fulgore hujus *Athenæi* dignitas non parum elucescit. *Paulus Fuchsius* est, *Auditores*, ne nesciatis, qui anno seculi præcedentis sexagesimo septimo in locum *Feltmanni* successit, *Vir* in tantum laudandus, in quantum vitæ morumque elegantia, eruditionis nitor, *Ulyssæ Pyliæve* facundiæ dulcedo, ac denique tot dotibus velificantis *Fortunæ* propitius favor intelligi possunt. Is enim postquam per quadri-

nium præclara cælestis ingenii semina ad agrum hunc feliciter conferendum voce sua melliflua scriptisque contulerat, in aulam à serenissimo Electore vocatus, summisque paulatim dignitatibus post collata nobilitatis insignia admotus, ad eum apicem sub eodem Principe ejusque Successore potentissimo Rege Friderico ascendit, quo vix altior Juris & Sapientiæ cultoribus contingere posse videtur, factus nempe Minister Statûs, ut appellant, simulque præter multiplices alios honores, Academiarum omnium Protector, quarum Fautorem jam dudum egerat. Et jam vel in hac Academia apparuit ex ipsa morum verborumque elegantia, quam rebus sublimioribus gerendis idoneus, quanta dexteritate, quantis dotibus à natura præditus esset ad conciliandam sibi Principum benevolentiam, æqualium amorem, inferiorum cultum ac reverentiam, denique quam ad promovendam omnium mortalium salutem formatus, hoc est, ut paucis me expediam, vere prudens aulæque natus esset. Abiturus enim, oratione habita typisque mox sub *Valedictionis* titulo descripta, quod nec antea quisquam nec postea fecisse comperitur, perennem felicitatem primum Patribus Academicis, suis quondam laborum & vitæ Sociis, deinde Presbyterio Ecclesiastico, cujus membrum extiterat, ac postremo toti Urbi precatus est, cum favoris & benevolentiae spon- sione, quam deinceps huic Academiæ quavis occasione affulgente prolixè declaravit. Sequitur deinde *Gerhardus Maftrichtius*, etiam non sine cura & veneratione memorandus, Petri Maftrichtii Frater. Is enim verus & insignis Polyhistor præter incredibilem non solum Justinianæ Juventutis studia, sed ipsam etiam civium & incolarum pietatem voce scriptisque promovendi ardorem, excitato insuper in vicino pago Dufferensi pædagogo, variis, quod mirandum est, profundissimæ eruditionis monumentis, Jus præcipue Canonicum & Ecclesiasticum spectantibus, orbem sibi literatum obstrinxit. Hic primum publicæ Bibliothecæ nostræ Catalogum concinnavit, & typis exscribendum dedit. Hic postea ad amplissimum Syndici munus Bremam vocatus de sacris civilibusque, ac politioribus studiis bene mereri nunquam cessavit, edito inter alia Græco illo tam nitido Novi Fœderis Exemplari, eruditissimis Prolegomenis, variantibus Lectio- nibus & criticis Observationibus instructo; qua in Urbe mihi adoles- centi tanti Viri magnanimum pectus propius cognoscere & venerari licuit, liberrimum totius immensæ Bibliothecæ suæ usum liberaliter offerentis & præstantis; quasi animus ipsi præfagiisset, futurum, ut aliquando cathedram, quam ipse olim decoraverat, conscenderem. Sciendum enim, præter Juris disciplinas etiam Historiæ docendæ pro-

provinciam eum hic administrasse, sola Eloquentiæ & Græcarum Literarum Sparta Henrico Frentzio, pluribus fortassis imparato, tunc relicta. Circa eadem tempora *Joannes Adrianus Schlegendablius* Jus extra ordinem docendi potestatem accepit, quo tamen munere se post aliquot annos sponte abdicans, urbanosque Magistratus petens, Consulatu auctus est, in qua dignitate laudabiliter gesta consenuit. Sequuntur deinde *Guilielmus Crusius* Berolinensis & *Arnoldus Brandius* Daventriensis, vel, si mavis, ob educationem Clivensis, & materna gente Raesfeldiana progenitus; quorum ille primo Philosophi, ac deinceps per longum temporis spatium Jurisconsulti personam sustinens ingentes labores suos non solum instituendæ Juris studiosæ Juventuti, sed legendis etiam expediendisque innumerabilibus juridicarum controversiarum libellis non sine laude & lucro consecravit; Brandius verò per idem stadium decurrens, sed citius tamen ob brevioris vitæ spatium ad metam perveniens, Scriptis simul posthumis à Successore Pagenstechero & Henninio postea vulgaris eminuit, inter quæ etiam Itinerarium in Moscoviam est; ubi scilicet olim in Legati Brandenburgici, illustris Viri Joachimi Sculteti, comitatu aliquamdiu commoratus fuerat. Post eos memorandi nobis occurrunt *Alexander Arnoldus Pagenstecherus*, & *Joannes Mauritius Crellius*; quorum prior ex Steinfurtenfi Gymnasio vocatus, & Gisberto Arnolde Pagenstechero, Bentheimensium Cancellario, deinceps Consiliario Brandenburgico, simulque hujus Academiæ Curatore, genitus, Politices & Jurisprudentiæ Spartam egregie ornavit, Scriptisque plurimis non solum Duisburgi, sed etiam Groningæ, quò postea se contulit, in lucem datis nominis sui memoriam extendit; alter verò Christophori Friderici Crellii superius jam laudati Filius post plurimorum annorum labores se tandem munere suo abdicavit, insignem candoris & integritatis laudem etiam apud posteros, sicut meruerat, consecutus. Multo minorem sui memoriam reliquit *Joannes Claterus*, Juliensis, uno alterove anno vix transacto Heidelbergam translatus; quo etiam post partam tam scribendo quam docendo Jurisprudentiæ non negligenter cultæ gloriam abiit *Carolus Otto Thyllius*, Laubacensis ex Solmensium ditione Wetteravica; uterque ibidem post geminam tam in Academia, quam in Senatu Palatino rebus Ecclesiasticis moderandis constituto administratam dignitatem deinceps mortuus. Mox eodem fere tempore Juris docendi munus auspiciati sunt *Casparus Theodorus Summerrmannus*, Crusio non minus in lecto geniali quam statione succedens, & *Georgius Hermannus Bergenius*, huc Dusseldorpio vocatus, sed post paucorum annorum intercapedinem

nem iterum defunctus; cum è contrario Summermannus solus in hac Academia exstiterit, qui quinquagesimum muneris diligenter administrati annum non solum attigit, verum etiam biennio superavit. Sequitur deinde *Bernbardus Henricus Reinoldus*, Hammonensis, cujus eruditionem jam Brema & Herborna miratæ fuerant, quemque Viadrinæ Musæ vicissim Teutoburgensibus eripuerunt. Post hunc trium sequentium *Everardi Ottonis*, *Henrici Philippi Zaunschlifferei* & *Jacobi Eckii* nobis uberior commemoratio instituenda foret, nisi per divini Numinis gratiam illi adhuc inter vivos florent, prior post stationem in Academia Trajectina peractam jam Reipublicæ Bremenensis Syndicus longe celeberrimus, alter serenissimo Hassiæ Landgravio in Dynastia Hanoviensi à Consiliis constitutus, tertius ejusdem Jurisprudentiæ apud Groninganos Antistes, Viri omnes multa eruditionis & meritorum laude conspicui. Zaunschlifferei locum occupavit *Henricus Theodorus Pagenstecherus*, ex illustri Hammonensium Athenæo, ubi Eckio tum ad nos commigranti ipse Linga veniens successerat, huc arcessitus, Alexandri Arnoldi superius jam memorati Filius; cujus, ut etiam Summermanni paulo ante similiter defuncti, Manibus iusta peculiaribus libellis dedimus. Eodem tempore *Carolus Fridericus Antonius Crusius* Guilielmo jam laudato procreatus, præter Consiliarii aulici, & Secretarii Academici nomen etiam extraordinarii Jurium Professoris titulo, donec fata Deusque sinebant, insignitus fuit. Sequuntur duo Fratres eximii, *Joannes Guilielmus* & *Joannes Henricus Summermanni*, sibi invicem in statione hujus Academicæ juridica succedentes; sed amborum adhuc summis dignitatibus, illius quidem in supremo Wetzlariensium Dicasterio, hujus vero in Regimine Clivenfi fungentium virtus, & egregiis simul Scriptis testata eruditio nobis pro instituti ratione silentium imponit; nec recentior *Joannis Arnoldi Rulandi* memoria, quam alibi etiam celebravimus, plura requirit. Præsentes autem sua quemque laude conspicuos, & non solum ad præteritum, sed etiam ad seculum nunc secuturum pertinentes, olim fortassis post novos centum annos feliciter, ut precamur, exactos alius Orator me multo facundior & eruditior commemorabit.

Medicorum agmen ducit *Joannes Bernbardus Danielius* Dufeldorpiensis, Nepos illius Danielii, Medici Duisburgensis, ad quem Scripta nonnulla & Epistolæ celeberrimi Joannis Fabricii Hildani exarata leguntur; Vir artis suæ, sicut apparet, non imperitus, sed paulo arrogantior, ac propterea litigiosus; ut mirum non sit, eum munere suo

suo per aliquod tempus privatum fuisse, cui denuo post promissam  
 cinctoriae mentis emendationem initiandus erat, ceteris, Claubergio  
 inprimis ac Cranenio, quibus obliquior fuerat, meliora deinceps spe-  
 rantibus. Sed laterem frustra lavari, & cerebrosum caput non facile  
 morbo deposito relipiscere ipse suo exemplo docuit, cum paucis  
 annis vix elapsis adeo transversus ageretur, ut ejuratis Sacris nostris  
 purioribus Romanensium castra sequi, & in Aulam vicinam Neo-  
 burgicam tunc Dusseldorpii commorantem delatus, impetrato Archia-  
 tri titulo, majora commoda, quorum simul avidissimus erat, venari  
 voluerit. *Wiricus Scriba* nativitate Xantensis, educatione verò Meur-  
 fanus, alter in hoc Athenæo Medicus fuit, Vir non indiligens, quan-  
 doquidem rarissimo sane exemplo linguam simul Hebræam sacras-  
 que Antiquitates docendi spartam ornabat, quarum notitia pollebat,  
 quod in paucis etiam Jureconsultis, Cunæo, Seldeno, Wagenfeilio,  
 quin etiam in Conrado Heresbachio & Andrea Masio, duobus olim  
 Clivensis Aulæ luminibus, miramur. Obiit Wiricus noster apo-  
 plexia repente correptus, dum aliis remedia præscribebat. Præ-  
 scripserat autem præter ceteros Collegæ suo Hugenothio, qui deinceps  
 (videte miram rerum humanarum vicissitudinem) defuncto pa-  
 rentavit. *Theodorus Cranenius* hinc sequitur, Colonienfis, Medi-  
 cus simul ac Philosophus, ut Secta eorum temporum Cartesiana fere-  
 bat, insignis. Utramque enim ille disciplinam exercuit, quem magnus  
 ipse Boerhavius in sua de obitu Bernhardi Albini oratione Virum  
 vocat ingenio magnum, naturali facundia felicem, supra quam dici  
 potest celebrem, sed infrænata ratiocinandi licentia minus solidum.  
 Hinc enim Leidam, sicut inde postremo Berolinum, ut serenissimi  
 Principis valetudini curandæ præesset, delatus, ibique extinctus est.  
 In Cranenii locum *Tobias Andreae*, Bremensis, arcessitus est, ex ce-  
 lebri Andrearum gente Tobias, ut sic loquar, tertius, nec cum duo-  
 bus aliis Tobiiis, inprimis autem Patruo Tobia Andreae, Gronin-  
 genfi Professore, confundendus. Hic etiam cum Medicina simul  
 Philosophiam docebat, hoc quoque nomine celebris, quod arcanum  
 illud Bilsianum ex schedis cognati sui Ludovici Bilsii se primum di-  
 didisse, ac mox perfectius reddidisse jactavit, hoc est, artem con-  
 diendi corpora tantam, ut non solum sine ullo fœtore integra & vi-  
 vis certantia in omne ævum perdurarent, sed etiam Medicis, sicut  
 Henninius noster oculatus testis commemorat, omnes corporum par-  
 tes, flexus & labyrinthos interiores sine narium injuria  
 exhiberet. Abiit hic Tobias post duodecennium Francofurtum ad  
 Viadrum, & mox Franequeram, ubi tandem decessit. Sequuntur,  
 O Audi-

Auditores, duo *Barbeckii*, *Jonas* scilicet *Barbeckius* Essendienfis extra ordinem publice hanc artem professus, & multo nobilior *Fridericus Godofredus Barbeckius*, *Jonæ* Frater, sed in hac Urbe natus, quo ejus Pater deinde concesserat consulari nempe dignitate maectatus; qui non solum plurimis Dissertationibus tam Philosophicis quam Medicis ex hoc umbone ventilatis, sed etiam felicissima praxi per multos annos inclaruit, Vir sine apparatu bonus, & diu etiam post mortem per ora civium volitans. Nec prætereundus est *Joannes Adolphus Gosdorfius*, *Gerlaci Gosdorfii*, divinorum Oraculorum in hac Urbe Interpretis, Filius, etsi ætate non valde proveeta defunctus, uti nec *Theodorus Graeffius*, exiguo hic tempore ad docendam Medicam Artem commoratus, ac deinceps *Harderovicum* in *Gelriam* transgressus. Quia autem *Barbeckio* novus oneris & laborum Socius adjungendus erat, accessit *Henricus Christianus Henninius*, de quo mox plura dicenda erunt, extraordinarii primum, mox etiam ordinarii elogio auctus; quo eodem tempore *Joannes Gabriel Rudolphi* Medicinam, cujus artis specimina Scriptis dederat, extra ordinem docendi potestatem quæsit & obtinuit; cujus tamen exercendæ copia per mortis acerbæ, sicut opinor, invidiam ipsi denegata fuit. *Martinus* deinde *Joannes Haesbaertius*, & *Henricus Jacobus Conte*, *Clivensis* ille, hic *Dusseldorpiensis*, *Galenis* Sacris, non diu tamen ob eorundem factorum injuriam, præfuerunt; quorum stationes mox *Fridericus Godofredus Sylvester Erckelius*, *Hatnegganus*, & *Andreas Ottomarus Goelike* *Anhaltinus* occuparunt. Ut prior diuturna præcipue praxi innotuit, tristi tandem dysenteria simul cum duobus liberis extinctus ac elatus, ita posterior alacerrimi Vir ingenii promptæque facundiæ brevi tempore huic Athenæo infervivit, ac *Francofurtum* ad *Viadrum* vocatus artis suæ honorem cum pietate *Hippocratis* strenue contra *Gundlingium* tutatus est, pro more temporum illorum loquaci eruditulorum gregi *Atheismi* ludibriis, & accusationis genere, quibusvis etiam semidoctis facillimo, jactanter imponentem. *Goelikenio* successit *Gotlieb* *Ephraim Bernerus*, *Anhaltinus*, Scriptis etiam quibusdam non incognitus; *Petro Muschenbroekio* eandem artem paulo post extra ordinem docente, qui deinceps *Trajectinam* & *Lugdunensem*, in qua etiamnum fulget, *Academiâ* *Phyficis* & *Mathematicis* Studiis illustravit. *Erckelium* *Joannes Arnoldus Timmermannus* excepit, cujus Viri non minus *historica* *Medicinæ* notitia quam *practica* mirè pollentis, sicut antea *Berneris* quoque *memoriam* justis ex more libellis consecrare studuimus. Præsentibus autem, & hoc alterum *Academiæ* seculum diu, sicut optamus, illustraturis, ut eadem pietatis officia sero contingant, non immerito precamur. Ad

Ad Philosophicam Facultatem transeuntes magno prolixitatis onere nos esse levatos animadvertimus; cum, primorum sedis hujus Palladiæ Prytanum consilio, Philosophiam vel partes ejus varias, sicut etiam Linguas & Antiquitates sacras, docendi provincia non Viris quibusdam peculiariter ad eam vocatis imposita, sed simul nonnullis in alia quapiam Facultate demandata fuerit, si *Christophorum Fridericum Crellium* excipiamus, per aliquot ante Theologicam Professionem annos moralem disciplinam separatim tractare jussim. In eorum censum *Claubergius, Cranenius, Tobias Andree, Hugenpotbius*, ac postea *Crusius*, tum *Pagenstecherus & Barbeckius*, omnes quædam Philosophica tractantes, *Wiricus* autem *Scriba, Samuel Dieftius, Petrus Maftrichtius, Gantevilerus & Hugueninus*, quod ad Hebraismi & Antiquitatum sacrarum conjunctim edocendarum disciplinas attinet, referendi sunt; quorum omnium merita & tempora jam commemoravimus; reliquos autem peculiariter hujusmodi Scientiis tractandis deinceps destinatos suo loco & ordine mox videbimus. Primus itaque omnium in hac Facultate commemorandus venit *Joannes Schultingius*, Suollanus, utpote inter sex primos hujus Academiæ Doctores peculiariter ad Historiarum, Eloquentiæ & Græcarum Literarum munus huc arcessitus, Vir non minus eruditione singulari ob cultissimas in Senecæ Suasorias & Controversias, nec non quædam Quintiliani annotationes, quàm Filio suo Antonio Schultingio, præstantissimo illo Lugdunensium Papiniano, celebritatem promeritus. Eo post breve tempus in vicinam Academiam tum Neomagi florentem transeunte, venit huc *Joannes Georgius Grævius*, Naumburgensis Saxo. Grævii nomine audito omnis cultissimæ eruditionis, omnis humanitatis, omnis plane gloriæ tot monumentis per orbem terrarum acquisitæ imaginem vobis, Auditores, ante oculos versari ne tiquam dubitamus. Quod de Carthagine Sallustius, idem de tanto Palladis Sacerdote jure pronuntiaverim, præstare scilicet de eo filere, quam pauca dicere, cum nullius vel disertissimi oratio meritis illius celebrandis sufficiat. Tanto magis hac brevitate defungimur, quia paucis annis interpositis Daventriam abivit, ut relictam illic à Doctore suo Joanne Friderico Gronovio lampada capefferet, ita tamen, ut mox Trajectinæ Palladi, in locum Antonii Æmilii, clarissimi Oratoris ac Poætæ, vocatus, operari cæperit, ubi consenuit & extinctus est, si extingui potuit Vir immortalitatem nominis etiam in terris adeptus, & inter præcipuos heroas Minervæ peplo insertus; Vir, inquam, plane singularis, laudatus omnibus, improbatus nemini, omnium mortalium invidiam provocare & promereri natus, nullius

unquam expertus. Grævii vices in docendis heic loci literis humanioribus excepit *Paulus Terbaavius*, non leviter de earum nitore meriturus, velut ex *Boxhornii* Epistolis & *Pluymariana* Opusculorum *Scioppianorum* dedicatione apparet, nisi insanabili primum mentis, ac deinceps quoque corporis morbo correptus in patriam suam, *Amstelodamum*, alteram nostri temporis vel *Tyron* vel *Corinthum*, unde venerat, redire maluisset. *Terhaarium Joannes Mensinga* secutus est, *Groninganus*, Vir bonis literis satis cultus nitidusque, nec non amabili morum suavitate laudabilis, cujus schediasmata ut in unum corpus redigerentur, votum exstat *Petri Francii*, *Nafonis Amstelodamensis*, posthumis ejus operibus insertum. *Mensinga Duisburgensium Musarum Sacerdotem* agente, *Joannes Franciscus Gymnicus* Literas Græcas extra ordinem docendi potestatem accepit, origine *Juliacensis*, sed ingenii, ut apparet, nonnihil turbidioris, qui postea commendatione *Mæcenatis* sui *Theodori Buyseroi*, nobilis *Zelandi*, quem hic privatim instruxerat, ad *Gymnasium Flissinganum*, ejus regimini præfuturus, discessit. Hoc demum tempore tres nonnullis *Philosophiæ* partibus administrandis peculiariter ordinati sunt; *Henricus* videlicet *Mumsenius*, *Hufumensis* *Holsatus*, *Hermannus Schlatius*, *Joannis Schlatii* *Consulis* in hac *Urbe* *Filius*, & *Nicolaus Smiterus*, *Gorinchemiensis*; quorum priori *Mumsenio* *Ethices* ac *Politices* tractandæ *Sparta*; alteri deinde *Schlatio* *Matheseos* docendæ munus, *Smitero* autem, *Scriptis* etiam nonnullis, & inprimis *paradoxis* conatibus de *sacrosancta Trinitate* ex *ratione* satis demonstranda nobili, *Philosophiæ* proprie sic dictæ, ac præcipue *Metaphysices* provincia demandata est. Cum *Joannes Mensinga* in patriæ suæ *Academiam* discessisset *Groningam*, *Historiarum* quidem munus *Gerhardo*, sicut supra jam monuimus, *Mastrichtio*, *Literarum* vero *Græcarum* & *Latinarum* cura *Henrico Frentzio*, *nativitate Hammonensi*, post *Scholarum* hujus *Urbis* moderamen, *Rurortæ* ac *vicinorum* aliquot *pagorum* tunc temporis *Judicem* agenti, commendata est, sed non æquis passibus *Antecessorum* vestigia prementi, litibus præterea *oeconomicis* sublimioris ingenii lumen obscurantibus implicito. *Carolus Schaaffius* deinde ob *libertatem* *Linguas* *sacras*, inprimis autem *Syriacam* extra ordinem docendi, in qua postea sibi magnum nomen *Lugduni Batavorum* peperit, non omnino prætereundus est. *Novesianus* is erat ex *ditione* *Coloniensi*, & *Lugduni Batavorum*, ubi eadem studia tractavit, defunctus est. Circa hæc tempora post *Hermanni Schlatii* obitum univrsam primus *Philosophiæ* ambitum, unâ cum *Mathesi*, *Professione* sua complexus est *Adrianus Ludolphus Beckerus*, *Venloæ*,  
Patre

Patre Hermanno, apud Belgas fœderatos Centurione, natus, Vir integer & laboriosus, sicut ex innumerabilibus schedis exaratis, & aliquando in manus meas delatis manifestum est, licet aliarum potius aquilarum alte volantium ductui, quam proprio alarum remigio confusus fuisse videatur. Henrico Frentzio adhuc vivente, Gerhardo autem Mastrichtio Bremam ad alterius generis provinciam vocato, *Jacobus Tollius* Ultrajectinus, Professoris honorarii titulo ad Historiarum, Eloquentiæ & Græcarum Literarum Spartam administrandam Gouda, cujus Gymnasii gubernaculo præfuerat, arcessitus est, Vir sine controversia doctissimus, simulque Chimiæ rerumque naturalium curiosus, ut Scripta ejus non pauca Græcam Romanamque Literaturam illustrantia, nec non Epistolæ ejusdem Itinerariæ testantur. Amans enim peregrinationum non solum impetrato serenissimi Electoris consensu totam Germaniam, Bohemiam, utramque Pannoniam, sed postremo etiam Italiam peragravit, ubi Florentiæ subsistens manuscriptorum Codicum thesauris uti decrevit, majori tamen conatu quam successu, etsi delicias ejus itineris, ineditas nempe quorundam Græcorum monumentorum, præcipue Gregorii Nazianzeni reliquias in lucem protraxerit. Tandem iterum in patriam suam Ultrajectum se contulit, ibique supremum iter, unde quemquam redire negant, ingressus est. Tollio successit *Henricus Christianus Henninius* ex tractu Hanovico Solitariensis, & incomparabilis illius Poëtæ Petri Lotichii popularis, huc Tila Gelrorum, ubi Gymnasii habenas post Joannem Aelhusium, elegantis poëticiæ Odarum Davidicarum versionis & publico simul usui adaptatæ parentem, moderatus fuerat, accedens, postquam *Joannes Fridericus Cramerus*, Vir variorum Scriptorum nitore satis notus, Historiarum & humaniorum Literarum provinciam, licet impetrato à serenissimo Principe jam diplomate, non receperat, quia Ecclesiarum nostrarum Confessionibus, exemplo ipsius Grævii, Fuchsii & Mumfœnii, subscribere dubitabat; quod tum propter Academiæ statuta necessarium esse judicabatur. *Henninius* autem, cujus meritis & laudibus frustra Censores quidam extranei, satis superque, quod ipsi curare & emendare debuissent, habentes, Viris gravibus & honestis merito talia detestantibus, oggannierunt, Vir hic omnibus morum candore valde probatus ac eruditissimus fuit, & Cramero etiam neutiquam minor, quem præter absolutissimam Juvenalis Editionem plurima alia monumenta ubique nitorem ostendantia posterorum memoriæ commendant. Mumfœnio hætenus Ethices & Politices disciplinas professo successit *Clemens Bergius*, Solingensis, Vir non indiligens, sicut Introductio ejus in has Scientias testatur; quo ferè tem-

pore Mumfenii Gener *Henricus Erberfeldius*, Philippi Erberfeldii, Prætoris Duisburgensis Filius, primus omnium peculiarem Linguas sacras & Antiquitates Hebraicas docendi provinciam adeptus est, quæ olim aliarum Facultatum appendix fuerat. Majus tam in harum Linguarum, quam Germanicæ studio præcipue etymologico nomen erat nactus *Joannes Georgius Wachterus*, Memmingensis Suevus, favore illustri Fuchsi hujus Academiae Doctoribus adscriptus. Sed is, quia libro contra Cabbalam Hebræorum edito se insolentium opinionum suspectum reddiderat, serio recusatus est. Post hæc Beckero mortuo *Jacobus Wittichius*, Aquisgranensis, Tobiaæ Filius, & Christophori ex Fratris Nepos, ad Philosophiam & Mathesin docendam vocatus est, quo munere per plurimos annos hic functus tandem orta ingenti circa ejus Dissertationem de *Natura Dei* altercatione Lugdunum Batavorum discessit, ibique diem supremum obiit. Cum Heninius diserta & pathetica oratione in ipso lecto paulo ante mortem, ut mihi testis auriti narratione constat, rebus humanis valedicens ad Superos translatus esset, Historiarum, Eloquentiæ & Græcarum Litterarum Sparta Antecessori meo commissa fuit. *Henricus* is erat *Mascampius*, Zutphaniensis, qui commendante magno Grævio olim Ultrajecti studiis serenissimorum Principum, Marchionum Culmbachensium præfectus fuerat, Vir eruditus, ut Scripta ejus historica restantur, aliaque monumenta; sed cui major meliorque valetudo optanda fuisset. Jacobo Wittichio tandem qui in Cathedra Philosophica ornanda successerunt, *Petrus Muschenbroekius*, ac deinceps *Nicolaus Engelbartius*, adhuc insigni doctrinæ & acuminis laude florentes, ille in Lugdunensi, hic in Groningensi Athenæo, uberiore commemoratione mea non indigent. Præsentibus autem nobis, & per immensam supremi Numinis clementiam adhuc superstites si pia olim posteritas (modo id mereamur) eodem candore, quo nos usi sumus, velut redhostimenti loco benevolentiam præstiterit, nihil est, quod ulterius in hac rerum vanitate sperare possumus, nihil quod cupimus, scientes UNUM ESSE NECESSARIUM. Interim virtute nos involvemus nostra, liventium ac malevolorum, quos nunquam meruimus, Zoiolorum securi, de bonorum autem favore, inter quos nomen quoque nostrum semper professi sumus, nequaquam dubitantes.

Vidistis, Auditores honoratissimi, brevem omnium istorum imaginem, qui per integros centum annos, jam divina bonitate feliciter transactos, in excolendis cujuscunque generis scientiis huic Sacrario operam suam devoverunt. Vidistis ejusdem primam originem & incunabula, tum mirificas rerum vices ac sæpe luctuosas, quibus

quibus per tot annos ejus dedicatio retardata fuit. Ipsam postremo vidistis inaugurationem, nec non diversas rerum facies, bellorumque calamitates, eam deinceps sæpe consecutas, sed supremi Numinis clementia semper exitu secundo mitigatas. Multo plura vix attigimus, tum ne justam Historiam paucarum horarum cancellis circumscribi posse cuiquam videatur, nihil ommissum esse cogitanti, tum ne patientia vestra abuteremur; quod ne fieret, litus ubique legere, nec in latum mare cymbam nostram propellere voluimus. Nunc vero nihil amplius, priusquam vela contrahamus, restare videtur, quam ut debitas supremo Numini laudes canamus cum gratiarum actione pro conservato nobis tam clementer hoc humanarum divinarumque scientiarum domicilio, cumque ulterioris ad feros usque posteros, natosque natorum, & qui nascentur ab illis, continuandæ divinæ benignitatis ac favoris imploratione, tanto nunc ardentioribus verbis, quanto magis sensibus in cælum sublatis peragenda. Quocirca paulisper adhuc linguis, Auditores, favete, & qualemcunque hunc Musarum Sacerdotem non jam cum Venulino Vate virginibus puerisque, sed omnibus simul mortalibus carmina non prius intra hos certe parietes audita cantantem benigne auscultate.

**M**ens mea, surge, precor, fegni nec frigore tarda  
 Concipe cœlestes rursus, ut ante, faces.  
 Quæque prius juveni caluerunt pectoris æstro,  
 Nunc iterum caleant venaque voxque seni.  
 Sacra dies nobis, sacer est labor: ite profani;  
 Cura quibus summi Numinis alta deest.  
 Innumerabilium vacuus virtute librorum  
 Helluo sit quamvis, hic minus aptus erit.  
 Ignibus ara nitet; devoto pectore tura  
 Cum precibus summo sunt adolenda Deo.  
 Laus tibi, sancte Pater, pro tanta debita soli  
 Gratia, qua fruimur, prosperitate Tibi.  
 Mira tuæ nobis favit clementia dextræ,  
 Mira fides trepidis præstata, mirus amor.  
 Per te jam centum Domus hæc feliciter annos,  
 Omnibus evictis casibus, alta stetit.

Stet,

Stet, precor, illa diu; stet secula plura, tuisque  
 Serviat æternum pacis alumna Sacris.  
 Quoque magis possit sperare sequentibus ista  
 Temporibus certa postera turba fide,  
 Crescat, & heroæ virtutis honoribus auctis  
 Prussiæ gentis gloria sine carens  
 Vindicis incusso dextræ terrore superbos  
 Impleat, innocuæ pacis amore bonos.  
 Quem celebrem nobis donasti, protege Regem;  
 Per te qui sapiens, non modo fortis agit:  
 Libertatis amans, libertatemque putandi  
 Deposita nullis impietate negans.  
 Alter Alexander, Titus alter, & alter Achilles,  
 Non Antonino, non Salomone minor.  
 Sol obit & surgit: Friderici gloria nunquam  
 Occidat. Occasus nomen & Ortus amet.  
 Qui sic bella gerit, tollatur ut area bellis:  
 Sic vincit, semper vincere ne sit opus.  
 Constet huic toti Regioni, constet & Urbi,  
 Palladioque sacro constet in Urbe decus;  
 Quod Gulielminæ prius indulgentia dextræ  
 Servandum merito semper honore dedit:  
 Et Gulielminæ post altera cura secundæ  
 His nunquam voluit pignus abesse locis.  
 Nullus Hyantæi casus gregis otia turbet,  
 Sive solo missus, sive sit ille polo.  
 Non vapor inficiat, non halitus aëra nostrum,  
 Qui naturali commoditate placet.  
 Tempora corporibus sine tabe salubria pergant  
 Herbiferis pecudes exhilarare jugis:  
 Quæ toties alibi pepererunt strage coorta,  
 Ne noceant homini transitione, metum.  
 Terra parens læto proventu larga ministret,  
 Illa tui testis, Sancte, favoris, opes:

Quas

Quas Sículus quondam Latio, quas Nilus egenti  
 Per longas toties ferre coactus aquas.  
 Pax bona præcipuè, turbata prioribus annis  
 Sæpius, & miseris iussa subire vices,  
 Ambitione ferox cum culta novalia Mavors  
 Diriperet, campo, nec minus urbe fremens,  
 Pieriamque chelyn servare silentia, raucis  
 Territa mœreret Turba novena tubis,  
 Duret io! duret; studiosa nec agmina pacis  
 Barbarus assultu miles atroce fuget.  
 Illa tuæ quondam Concordia semine Mentis  
 Nata relegatis regnet in orbe malis:  
 Purpureis formosa comis, placidisque serenam  
 Sidereo faciem gentibus ore ferens.  
 Illa redux agitet per rura, per oppida lætos  
 Virtutum cœtu se comitante choros.  
 Cunctaque discutiat nitida feliciter ortus  
 Fœta simultatum nubila luce sui.  
 Justitiæque Soror populorum vincula nectat  
 Libera servili calliditate Fides.  
 Quotquot ubique Duces, quotquot certamina Reges  
 Sæpe nimis cupida mente cruenta movent,  
 Rebus in orbe fatos melioribus esse patrandis  
 Errorum nebula se fugiente putent;  
 Magnanimique tuo cupide famulentur honori:  
 Dent trepidis portum: publica damna levent.  
 Mutua mitescant in fœdera pacis amantes,  
 Cujus es, orbe novo cuius & auctor eras.  
 Cesset atrox Odium: sitiens petat Ira cruoris,  
 Et Cædes stygias, unde profecta, domos.  
 Gloria quæraturservatis civibus, olim  
 Grandius æterna laude datura decus.  
 Quando erit, in falces ut gentibus, inque ligones  
 Vertantur gladii, quando erit illa dies?

Ampliet interea victrix Sapientia fines  
 Per populos regni non violenta sui;  
 Humanumque genus doceat, non esse creatum  
 Perdendo studiis semet in orbe sibi:  
 Non corradendis opibus venientibus illa,  
 Quæ possessorum membra recondet, humo;  
 Non turbis, odiisve, quibus cœlestia quondam  
 Nil affine datæ semina mentis habent.  
 Nobilitas Animæ longe est præstantior: illa,  
 Illa foris princeps audiat, illa domi.  
 Omnibus hoc resonet sancto fervore Cathedris,  
 Majores soboli quas posuere suæ.  
 Nostraque cum quavis Musarum sede laboret,  
 Quò tuus in populos promoveatur honos.  
 Certetur studiis, certetur moribus ipsis.  
 Quo quisque est major, gaudeat esse minor.  
 Fastus & Invidiæ cedat dirissima rabes  
 Ultra Sauromatas & glaciale frerum;  
 Cerbereisque procul nutrita Calumnia spumis  
 Multiplici stridens auferat angue caput.  
 Religio gaudens purgata mente docentum  
 Nesciat humanum ludificare genus.  
 Dementes pedibus terat eluctata catervas,  
 Tot tenebras tribuunt quæ tibi cunque suas.  
 Omnibus o miseris oculos da mentis apertos,  
 Cimmericas noctes nox quibus orta facit:  
 Ut te cognoscant, quam sis mirabile Numen,  
 Quod justum metuat, mite quod omnis amet:  
 Ut se cognoscant, quam sint miserabile, lucem  
 In media jactans nocte crepansque, genus.  
 Artibus & studiis sic lux orietur in ipsa  
 Mente, tuæ lucis nomen habere merens.  
 Nunquam erit impuri, nunquam fuit incola Virtus,  
 Cognitio nunquam vera placensque tibi.

Scribere

Scribere nec prodest sine te speciosa superbos,  
 Altaque nugaci garrulitate loqui.  
 Balbutit semper, fundens sine mente sacroque  
 Interius tacti pectoris igne sonos:  
 Mellifluum quamvis vel Nestora vicerit ipsum,  
 Promat Ulyssæas aut vafer ore dapes.  
 Acta Virum præstant. Actis simul esse disertos  
 Da, precor, & vero lumine corda frui.  
 Justitiæ vigeat terris venerabile Numen  
 Moribus & solida cognitione simul.  
 Hac sine quid fierent Urbes nisi lustra ferarum,  
 Celat ubi nocuos pellis ovina lupos?  
 Non agitet mentes Favor aut gravis Ira serenas;  
 Ira bono mutans jura, Favorque malo.  
 Si mendace nihil fervilius ore putatur,  
 Turpius injusto quid, precor, Orbis habet?  
 Scire, sed & pariter præstare salubria grato  
 Mentibus auxilio corporibusque juvet.  
 Non bonitas labiis sonet aut sapientia solis.  
 Os doceat, pectus sentiat, acta probent.  
 Non nobis miseri cæcis quæramus honorem;  
 Vilius hoc vulgus, quo magis arte tumens;  
 Sed tibi, summe Deus, tibi soli, Phosphore mundi,  
 Quo via doctrinæ, quo duce parta salus:  
 Qui decrescendo crescentem surgere monstras:  
 Dogma patens nulli, te nisi dante, sopho.  
 Moribus & studiis poliendis rite palæstras  
 Quis neget à Proavis ante fuisse datas?  
 Ut se defunctis Respublica duret, & insons  
 Posteritas possit tempus in omne sequi;  
 Urbibus ut regimen constet sine labe, Sacrisque  
 Debitus æthereæ simplicitatis honos;  
 Prosperitas populis ut floreat usque renascens,  
 Certa que radices, ne violetur, agat.

Gloria sola Dei scopus est, & publica tantis  
 Sumptibus humanæ gentis in orbe salus.  
 Non ut dira novis vitiorum femina tanto  
 Largius exemplis conspiciantur ali.  
 Germinat ah nullo per se satis omne magistro,  
 Nobilitas animæ quo perit alta, malum;  
 Fastus, avarities, quævis perversa cupido,  
 Sævaque jactatis lingua canina probris.  
 Mortalique nimis zizania noxia genti  
 Non opus augmentis, utque rigentur, habent.  
 Omnibus his potius loliis impendere curam  
 Tollendis fœda cum ruditate juvet;  
 Evulsis penitus filices abigantur ut ipsis,  
 Tritica suffocent ne genuina, fibris.  
 Doctior & melior sic postera turba, salusque  
 Orbis erit major, Numinis ira minor;  
 Totius & squalens non sub crescente malorum  
 Congerie passim sic gemet Orbis ager.  
 Quorum causa, procul, procul absit, ut ulla feramur,  
 Da, Deus, omnigeni Fons & Origo boni.  
 Discantumque greges, simul & tua cura docentum  
 Ducat inoffensos hic & ubique pedes.  
 Plus aliquid tandem, veterum quam turba sophorum,  
 Artibus ut cupiant obtinuisse suis:  
 Quos Asiæ pars magna, vetus quos Hellas Athenis,  
 Quosve Paretoniæ Mempheos ora tulit,  
 In media solitos caligine mille protervas  
 Sollicita nugas ambitione sequi;  
 Seque suis stolidè tenebrosos scindere sectis  
 Ob cassas, fructu deficiente, nuces;  
 Dum scuticis levitas puerorum digna superbas  
 Cum strepitu tanto versat agitque tribus:  
 Dum probitas animis, dum sana modestia prorsus  
 Exulat, & legis cultus amorque tuæ,

Quæ

Quæ tibi nos, dictat ratio velut ipsa iubetque,  
 Subjicit; humanum quæ ligat æqua genus;  
 Quæ domitos tandem ronchos cecidisse seroces  
 Simplicis à Veri mente capace docet.  
 Talia jungendo reliquis documenta colantur  
 Laudibus ingenui pectora casta gregis:  
 Ne pro thesauris carbonum sola legantur  
 Fragmina, Tartaræ fraude reperta Stygis;  
 Aut Asphaltites specioso poma colore,  
 Perfidia testis quæ cinis intus habet.  
 Larva theatralis quid vult sibi moris inepta?  
 Vera Deus verax vult sapienter agi.  
 Sedulus eventu decernat tangere læto  
 Præfixum reliquis & sibi quisque scopum.  
 Spiret, uti quondam fertur spirasse, deinceps  
 Hic aliquis vitæ candidioris odor,  
 Sistere communis properantia fata ruinæ  
 Qui queat exemplis & cohibere suis:  
 Omnis & avertat qui signa putredinis Urbi  
 Tristia, suffritus & salis instar habens.  
 Sic hæc Justitiæ domus, & Pietatis, & omnis  
 Officii nutrix, omnis & Artis erit.  
 Sic sublunarem non hunc modo noscere mundum,  
 Gloria quæ vanos sola frequenter agit:  
 Vincere sed tandem dabitur quoque; vincere, quicquid  
 Mentibus inspirat Cerberus ille triplex:  
 Sordibus obsessæ Carnis, Visusque Voluptas,  
 Pressaque servitio pectora Fastus habens;  
 Ductores, ductosque simul, juvenesque, senesque  
 Sapius hos etiam, qui monuere, ligans.  
 Cernere composita sic tandem mente ruinas,  
 Ipse Deus, fracto quamlibet Orbe, dabit.  
 Fallere nec quæret quisquam levis æthera verbis,  
 Fallere vix hominem quæ potuere diu.

Alterius vitæ species sic altera formam,  
 Grande nec exitium gens tenebrosa feret:  
 Turgida, livida, garrula, turbida, lucis inops gens,  
 Nata propagandis semper in Orbe malis.  
 Impia Pyrrhonis gliscens sic sponte propago  
 Desinet, irritans Numinis illa manum:  
 Illa nocens mundo fæx pessima & ultima, signans  
 Judicii magnum præcipitansque diem.  
 Sic melior totum facies oritura per Orbem  
 Solamen trepidis lætitiâque dabit.  
 Nostra reflorescet sic res quoque, nostra vigebit  
 Musica consimili prosperitate domus.  
 Sic doctis pariter docti reddentur, inani  
 Contempta penitus mercede, Virique Viris,  
 Vera vel in mediis sic se Sapiencia turbis  
 Exferet, ostendens ad meliora viam.  
 Donec iis tandem peragamus sancta potiti  
 Gaudia, mortales non habitura vices;  
 Sedibus æthereis ubi secula nulla vacabit  
 Amplius, aut annos, aut numerare dies.  
 Post Solem & Lunam præstantior altera Luna,  
 Nocte relegata, Sol novus alter erit.  
 Altera Terra, sacrum spissos cui flumina mellis  
 Per gremium latices, flumina nectar agent.  
 Unica Seraphicis concentibus ipse Creator  
 Materies superest, unicus ardor ibi.  
 Mille ibi myriadum plaudentum & mille sonantum  
 Mille choros jungent, agmina mille, poli.  
 Majus ibi templum Sophiæ cœlestis, & ædes,  
 Ore coruscantum quod ruit unda Virum,  
 Ridentumque levis cariosa putamina turbæ,  
 Cumque nucis cassæ vitrea fracta penu;  
 Quidquid & inferius Luna puerilibus ausis  
 Gens hominum vecors, cæca, superba struit:  
 Quam stans turre procul formicas esse pusillas,  
 Aëre stans medio sed nihil esse putet.  
 Hæc ibi discentur, quæ nunc male cognita nobis.  
 Quæ ferit hic aciem, lux ibi blanda feret.  
 Majoris Cathedræ gemmis auroque micantis.  
 Quæ sua perpetuet jubila, fulgor ibi est.

D I X I

LECTO-



## LECTORI BENEVOLO.

**O**mnibus grata & utilia præstare num possimus, ignoro, præstare certè cupimus. In ipsa quidem Oratione seculari compendiosam eorum, qui per integrum sæculum in Academia Duisburgensi diversas Scientias & Artes in hodiernum usque tempus professi sunt, recensionem instituímus, præsentium tamen & etiamnum superstitum nullam nominatim mentionem fecimus, obstante scilicet verecundia, cujus non minus quam aliorum officiorum rationem habendam esse, omnes elegantis ingenii homines semper crediderunt. Ne igitur quicquam ad majorem eorum, qui hic publice olim docuerunt, & adhuc docent, notitiam deesse videatur, utque brevis hujus Athenæi hæctenus per summi Numinis gratiam conservati imago unicuique tanto melius ante oculos ponatur, non inutile neque injucundum fore arbitrati sumus, tam præsentium quam futurorum temporum respectu, si duplicem hic Syllabum adjiceremus ad quorundam aliorum exemplum; ita ut primus omnium eorum Nomina, qui ab initio Academiæ usque ad præsens tempus ejus *Rectores* constituti magnificos fasces adepti fuerunt, comprehenderet, alter vero omnium in quavis Facultate *Professorum Seriem*, similiter juxta ordinem annorum, aut vocationis tempus, five ordinarii illi fuerint, five extraordinarii, sine cujusquam Juris detrimento, digestam repræsentaret; quibus tandem ultimum & ante aliquot menses editum publicarum *Lectionum Elenchum* subjunximus, ut & Posterius sciant, quæ tempore Festi secularis fuerit Academiæ sibi feliciter, ut optamus, relictae facies, & Exteri tanto certiore rerum nostrarum notitiam inde, si velint, haurire queant.

SYL-

## SYLLABVS PROFESSORVM,

*Qui in Academia Duisburgensi ab ejus initio usque in hunc annum munere Rectoris Magnifici functi sunt.*

Die XV. Octobris

## ANNO

- MDCLV. Johannes Claubergius. Philos. & Theol. D. ac Prof.  
 MDCLVI. Hermannus Rahmacker. J. U. D. & Prof.  
 MDCLVII. Martinus Hundius. Th. D. & Prof.  
 MDCLVIII. Johannes Bernhardus Danielius. Med. D. & Prof.  
 MDCLIX. Johannes Claubergius. II.  
 MDCLX. Samuel à Dieft. Philos. & Th. D. & Prof.  
 MDCLXI. Johannes Weyerstrafs. J. U. D. & Prof.  
 MDCLXII. Wiricus Scriba. Med. D. & Prof.  
 MDCLXIII. Johannes Godofredus Langenberg. J. U. D. & Prof.  
 MDCLXIV. Martinus Hundius. II.  
 MDCLXV. Gerhardus Feltmannus. J. U. D. & Prof.  
 MDCLXVI. Christophorus Fridericus Crellius. Phil. & Theol. D. & Profess.  
 MDCLXVII. Wiricus Scriba. II.  
 MDCLXVIII. Johannes Menfinga. Ph. D. Histor. El. & Gr. L. Prof.

*Durante Rectoratu revocatus in patriam abiit Groningam Prorectore constituto Wirico Scriba.*

- MDCLXIX. Johannes Hermannus Hugenpoth. Ph. & Th. D. & Prof.  
 MDCLXX. Gerhardus von Mastricht. J. U. D. & Prof.  
 MDCLXXI. Christophorus Fridericus Crellius. II.  
 MDCLXXII. Henricus Mumfsen. Philos. D. & Prof.

*Is Albo hæc verba adscripsit: Inter turbida ac tristissima bella hic nomina sua scripserunt. Inscripturunt autem 16. novi.*

- MDCLXXIII. Petrus von Mastricht. Phil. & Th. D. ejus ac Hebr. Ling. Profess.  
 MDCLXXIV. Johannes Godofredus Langenberg. II.  
 MDCLXXV. Fridericus Godofredus Barbeck. Philos. & Med. D. & Profess.  
 MDCLXXVI. Henricus Frentz. Eloq. & Gr. Ling. Prof.

MDCLXXVII.

- MDCLXXVII. Christophorus Fridericus Crellius. III.  
 MDCLXXVIII. Guilielmus Crusius. Philos. & J. U. D. & Prof.

Hic Albo adscripserat sequentia : *Anno vertente integro literis infesto, & belli cladibus inchoato in illa omnium fuga & vastitate, quæ & Academica Sacra, & privatos lares abstulit, bi pauci utinam numeri paucitatem dignitate compensantes Albo Universitatis nomen inseruere suum.*

Inseruerunt vero tantum decem sua nomina. Confer etiam *Hermanni Crusii*, Gymnasiarchæ quondam Meursani, *Epigrammata*, Lib. IX. Num. 66. & 78. nec non præcedentem Orationem nostram pag. 95. & 96.

- MDCLXXIX. Henricus Mumfen. II.  
 MDCLXXX. Johannes Jacobus Gantesvilerus. Philos. & Theol. D. ejusque & Hebr. Ling. Prof.  
 MDCLXXXI. Gerhardus von Mastricht. II.  
 MDCLXXXII. Fridericus Godofredus Barbeck. II.  
 MDCLXXXIII. Adrianus Ludolphus à Becker. Philos. & J. U. D. Philos. & Mathes. Prof.  
 MDCLXXXIV. Christophorus Fridericus Crellius. IV.  
 MDCLXXXV. Guilielmus Crusius. II.  
 MDCLXXXVI. Johannes Jacobus Gantesvilerus. II.  
 MDCLXXXVII. Arnholdus von Brandt. J. U. D. & Prof.  
 MDCLXXXVIII. Fridericus Godofredus Barbeck. III.  
 MDCLXXXIX. Adrianus Ludolphus à Becker. II.  
 MDCXC. Henricus Hulsius. Theol. D. & Prof.  
 MDCXCI. Guilielmus Crusius. III.  
 MDCXCII. Christophorus Fridericus Crellius. V.  
 MDCXCIII. Johannes Mauritius Crellius. J. U. D. & Prof.  
 MDCXCIV. Fridericus Godofredus Barbeck. IV.  
 MDCXCV. Henricus Christianus de Hennin. Med. D. & Histor. Eloq. & Gr. Ling. Prof.  
 MDCXCVI. Henricus Hulsius. II.  
 MDCXCVII. Guilielmus Crusius. IV.  
 MDCXCVIII. Adrianus Ludolphus à Becker. III.  
 MDCXCIX. Johannes Mauritius Crellius. II.

Q

MDCC.

MDCC.	Fridericus Godofredus Barbeck. V.
MDCCCI.	Clemens Berg. J. U. D. Mor. & Civ. Phil. Prof.
MDCCII.	Henricus Hulsius. III.
MDCCIII.	Henricus Christianus de Hennin. II.

Adscripsit hæc margini Albi: *Die inaugurali Reçtura Magnificæ nempe 14. & 15. Octob. Duisburgum venit & mansione nocturna dignatus est Carolus III. Hispanorum Monarcha. Ad rei memoriam!*  
Alter deinde hæc adjecit: *Is est bodiernus Imperator Carolus VI. tum Hispaniam petens.*

Henninius vero in Reçtoratu obiit, Hulsius Proreçtore factò.

MDCCIV.	Henricus ab Erberfeld. Ling. Hebr. & Phil. Sac. Profess.
MDCCV.	Carolus Otto Thyllius. J. U. D. & Prof.
MDCCVI.	Clemens Berg. II.
MDCCVII.	Henricus Hulsius. IV.
MDCCVIII.	Henricus Hulsius. V.
MDCCIX.	Casparus Theodorus Summerman. J. U. D. & Prof.
MDCCX.	Martinus Johannes Haesbaert. Med. D. & Prof. & S. Rom. Imp. Societatis Nat. Curios. Rhafæ.

*Obiit in Reçtoratu Proreçtorem agente Summermanno.*

MDCCXI.	Jacobus Wittichius. Philos. D. ejusque & Math. Profess.
MDCCXII.	Henricus Hulsius VI.
MDCCXIII.	Fridericus Godofredus Sylvefter Erckels. Med. D. & Profess.
MDCCXIV.	Henricus Mascampius. Hist. Eloq. & Gr. Ling. Prof.
MDCCXV.	Christophorus Raabe. Theol. D. & Prof.
MDCCXVI.	Casparus Theodorus Summerman. II.
MDCCXVII.	Henricus Hulsius. VII.
MDCCXVIII.	Fridericus Godofredus Sylv. Erckels. II.
MDCCXIX.	Christophorus Raabe. II.
MDCCXX.	Casparus Theodorus Summerman. III.
MDCCXXI.	Johannes ab Hamm Theol. D. & Ling. Or. ac poetæ etiam Theol. Prof.

MDCCXXII.

- MDCCXXII. Johannes Christianus Loërs. Theol. D. & Prof.  
 MDCCXXIII. Gottlieb Ephraim Berner. Med. D. & Prof.  
 MDCCXXIV. Casparus Theodorus Summerman. IV.  
 MDCCXXV. Johannes Hildebrandus Withof. Histor. Eloq. &  
 Gr. Ling. Profess.  
 MDCCXXVI. Johannes Christianus Loërs. II.  
 MDCCXXVII. Henricus Philippus Zaunschliffer. J. U. D. & Prof.  
*Durante Reſtoratu abiit Hanoviam Celf. Comiti à  
 Conf. futurus, Loëſio Proreſtorem agente.*  
 MDCCXXVIII. Gottlieb Ephraim Berner. II.  
 MDCCXXIX. Johannes ab Hamm. II.  
 MDCCXXX. Chriſtophorus à Raab. III.  
 MDCCXXXI. Jacobus Eck. J. U. D. & Prof.  
 MDCCXXXII. Johannes Arnoldus Timmerman. Med. D. & Prof.  
 MDCCXXXIII. Johannes Jacobus Schilling. L. A. M. Phil. D. ejus-  
 que & Math. Prof.  
 MDCCXXXIV. Guilielmus Neuhaus. Theol. D. & Prof.  
 MDCCXXXV. Henricus Theodorus Pagenſtecher. J. U. D. & Prof.  
 MDCCXXXVI. Gottlieb Ephraim Berner. III.  
 MDCCXXXVII. Johannes Hildebrandus Withof. II.  
 MDCCXXXVIII. Johannes Christianus Loërs. III.  
 MDCCXXXIX. Casparus Theodorus Summerman. V.  
 MDCCXL. Johannes Arnoldus Timmerman. II.  
 MDCCXLI. Johannes ab Hamm. III.  
 MDCCXLII. Chriſtophorus à Raab. IV.  
 MDCCXLIII. Henricus Theodorus Pagenſtecher. II.  
 MDCCXLIV. Johannes Jacobus Schilling. II.  
 MDCCXLV. Johannes ab Hamm. IV.  
 MDCCXLVI. Casparus Theodorus Summerman. VI.  
 MDCCXLVII. Chriſtianus Arend Scherer. Med. D. & Prof.  
 MDCCXLVIII. Johannes Hildebrandus Withof. III.  
 MDCCXLIX. Petrus Janſſen. Theol. D. & Prof.  
 MDCCCL. Henricus Theodorus Pagenſtecher. III.  
 MDCCCLI. Johannes Gottlob Leidenfroſt. Med. D. & Prof.  
 MDCCCLII. Johannes Jacobus Schilling. III.  
 MDCCCLIII. Johannes ab Hamm. V.  
 MDCCCLIV. Johannes Alexander Guinandus Pagenſtecher. J.U.D.  
 & Profefſ.  
 MDCCCLV. Chriſtianus Arend Scherer. II.

Cum præter alias Leges illa quoque obtineat, ut nemo hodie ad dignitatem Rectoratus Magnifici in Academia Duisburgensi admittatur, nisi qui per integrum quinquennium (ut olim per biennium tantum) in ea ordinariam cujusdam scientiæ ac doctrinæ provinciam administraverit, nonnulli autem ante impletum tale temporis spatium vel abiverint alio vocati, vel, si impleverint, nondum recursum electionis ad eam Facultatem, cujus membra erant, factò, discesserint, omnium eorum notitia, qui in hac Academia per integrum hoc seculum jam finitum docuerunt, ex præcedente Syllabo hauriri nequit; quocirca ipsum quoque omnium Professorum Indicem sub-  
jicere visum est.

## SERIES PROFESSORVM

Academiæ Duisburgensis à tempore  
inaugurationis.

### IN FACVLTA TE THEOLOGICA.

*Johannes Claubergius.*  
*Martinus Hundius.*  
*Samuel à Dieft.*  
*Christophorus Fridericus Crellius.*  
*Johannes Hermannus Hugenpöth.*  
*Petrus von Mastricht.*  
*Johannes Jacobus Gantersviler.*  
*Henricus Hulsius.*  
*David Hugueninus.*  
*Johannes Godofredus Bachman.*  
*Ludovicus Hermannus Stumpbius.*  
*Christophorus Raabe.*  
*Johannes Christianus Loërs.*  
*Guilielmus Neubauss.*  
*Daniel Gerdes.*  
*Johannes ab Hamm.*  
*Petrus Fansen.*  
*Eberhardus Henricus Daniel Stofsch.*  
*Philippus Jacobus Ammendorff.*

IN

## IN FACVLTATE IVRIDICA.

*Hermannus Rabmacker.*  
*Johannes Weyerstrafs.*  
*Johannes Godofredus Langenberg.*  
*Gerbardus Feltman.*  
*Paulus v. Fuchs.*  
*Gerbardus von Mastricht.*  
*Johannes Adrianus Schlegtendabl. Extraordinarius.*  
*Guilielmus Crusius.*  
*Arnoldus von Brand.*  
*Alexander Arnoldus Pagenstecher.*  
*Johannes Mauritius Crellius.*  
*Johannes Clæter.*  
*Carolus Otto Thyllius.*  
*Casparus Theodorus Summerman.*  
*Georgius Hermannus von Bergen.*  
*Bernbardus Henricus Reinold.*  
*Everbardus Otto.*  
*Henricus Philippus Zaunschliffer.*  
*Jacobus Eck.*  
*Carolus Fridericus Antonius Cruse. Extraordinarius.*  
*Henricus Theodorus Pagenstecher.*  
*Johannes Guilielmus Summerman.*  
*Johannes Henricus Summerman.*  
*Johannes Arnoldus Ruland.*  
*Johannes Alexander Guinandus Pagenstecher.*  
*Otto Ludovicus ab Eichman.*  
*Fridericus Godofredus Schlegtendabl.*

## IN FACVLTATE MEDICA.

*Johannes Bernbardus Daniels.*  
*Wiricus Scriba.*  
*Theodorus Cranen.*  
*Tobias Andreae.*  
*Jonas Barbeck. Extraordinarius.*  
*Fridericus Godofredus Barbeck.*  
*Johannes Adolphus à Gosdorff. Extraordinarius.*

*Theodorus van de Graef.*  
*Henricus Christianus de Hennin.*  
*Johannes Gabriel Rudolphi. Extraordin. sed non introductus.*  
*Martinus Johannes Haesbaert.*  
*Henricus Jacobus Conte.*  
*Fridericus Godofredus Sylveſter Erckels.*  
*Andreas Ottomarus Gâlicke.*  
*Gottlieb Ebraim Berner.*  
*Petrus van Muſchenbroek. Extraordinarius.*  
*Johannes Arnoldus Timmerman.*  
*Johannes Antonius de Blecourt. Extraordinarius.*  
*Chriſtianus Arend Scherer.*  
*Johannes Gottlob Leidenfroſt.*

### IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

*Johannes Claubergius. Philoſ. Prof. Vide ſupra.*  
*Johannes Schultingius. Hiſtor. Eloq. & Græc. Ling. Prof.*  
*Wiricus Scriba. Ling. Sanctæ Prof. Vide ſupra.*  
*Samuel à Dieſt. Philoſ. Pract. Prof. Vide ſupra.*  
*Johannes Georgius Grævius. Hiſtor. Eloq. & Gr. Ling. Prof.*  
*Chriſtophorus Fridericus Crellius. Phil. Moral. Prof. Vide ſupra.*  
*Paulus Terbaarius. Hiſtor. Eloq. & Græc. Ling. Prof.*  
*Tobias Andrea. Philoſ. & Phyſ. Prof. Vide ſupra.*  
*Johannes Menſinga. Hiſtor. Eloq. & Græc. Ling. Prof.*  
*Johannes Hermannus Hugenpotb. Philoſ. Prof. Vide ſupra.*  
*Johannes Franciſcus Gymnich. Græc. Ling. Extraordinarius Lector.*  
*Petrus von Maſtricht. Ling. Hebr. Prof. Vide ſupra.*  
*Henricus Muſſen. Ethic. & Polit. Profeſſor.*  
*Hermannus Schlabh. Mathef. Profeſſ.*  
*Nicolaus Smiterus. Philoſ. & Metaphyſ. Profeſſ.*  
*Gerhardus von Maſtricht. Hiſtor. Prof. Vide ſupra.*  
*Henricus Frentz. Eloq. & Græc. Ling. Profeſſ.*  
*Fridericus Godofredus Barbeck. Philoſ. Profeſſ. Vide ſupra.*  
*Guilielmus Cruſius. Philoſ. Theor. Profeſſ. Vide ſupra.*  
*Johannes Jacobus Gantesviler. Ling. & Phil. Sacr. Prof. Vide ſupra.*  
*Carolus Schæf. Extraordinarius Lingg. Or. Lector.*  
*Adrianus Ludolphus à Becker. Philoſ. & Math. Profeſſ.*  
*Jacobus Tollius Hiſtor. Eloq. & Græc. Ling. Prof. Extraordinarius &  
 Honorarius.*

Alexan-

- Alexander Arnoldus Pagenstecher.* Ethic. & Polit Pr.of. *Vide supra.*  
*David Hugueninus.* Ling. Hebr. Extraordin. Profess. *Vide supra.*  
*Johannes Fridericus Cramerus.* Histor. Eloq. & Græc. Ling. Prof.  
*sed non inauguratus.*  
*Henricus Christianus de Henmin.* Histor. Eloq. & Græc. Ling. Pro-  
 fess. *Vide supra.*  
*Clemens Berg.* Philos. Civil. & Moral. Profess.  
*Henricus ab Erberfeld.* Philol. & Hebr. Ling. Prof.  
*Jacobus Wittichius.* Philos. & Mathes. Profess.  
*Henricus Mascamp.* Histor. Eloq. & Græc. Ling. Profess.  
*Johannes ab Hamm.* Philol. Sac. & Lingg. Or. Prof. *Vide supra.*  
*Petrus à Muschenbroek.* Philos. & Mathes. Profess.  
*Johannes Hildebrandus Witbof.* Histor. Eloq. & Græc. Ling. Prof.  
*Nicolaus Engelbard.* Philos. & Mathes. Profess.  
*Joannes Jacobus Schilling.* Philos. & Mathes. Prof.  
*Joannes Albertus Melchior.* Philos. & Math. Prof.



ELENCHVS  
LABORVM PUBLICORVM IUXTA ET  
PRIVATORVM AVTVMNALIVM ET  
HYBERNORVM

IN

VNIVERSITATE REGIA,  
QVÆ DVISBVRGI CLIVIORVM EST,  
POST FESTVM MICHAELIS ANNO c1b lccc lv.  
INCHOANDORVM.

IN FACVLTA TE THEOLOGICA.

**J**OHANNES AB HAMM, S. Theol. Doctor & Professor Ordinarius, h. t. Fac. Theol. Decanus, B. c. D. in Prælectionibus publicis, *Selecta & Parallela V. atque N. Testamenti Loca* illustrare perget. Privatim præmisso *Isagogico ad Theologiam Naturalem*, in Collegio gemino, *ad Cl. van Tillii Theologiæ Naturalis atque Revelatæ Compendium*, nec perfunctoriam, positurus operam, quovis die Saturni *juxta seriem Locorum communium Systematis Theologici, Disputationibus* iterum vacabit.

PETRVS JANSSEN, S. Theol. Doctor ejusdemque & Historiæ Eccles. P. P. O. volente ac juvante DEO, in Prælectionibus publicis Cl. *Lampii* explanabit *Delineationem Theologiæ Activæ*. Privatim hora X. Institutionibus Theologicis Cl. *Melchioris Fundamenta Theologiæ Didascalicæ*, simulque *Elenctica*, explicabit. Hora pomeridiana II. *Historiam Eccles. V. T.* præeunte item *Lampio*, enarrabit. Ad hæc *Celeberr. Tillii Methodum concionandi*, *juxta præcepta artis hermeneuticæ & oratoriæ concinnatam*, tum exponet, tum concionibus, ab Auditoribus suis elaborandis, & habendis quoque ex suggesto, *επιχειριον* subjunget suam: prius fiet singulis diebus Mercurii, Saturni *posterius*. Neque deerit *Exercitia Disputatoria*,  
tam

tam *publica*, quam *privata*, aliaque, ad muneris sui partes pertinentia, desideraturis.

PHILIPPVS JACOBVS AMMENDORFF, S.S. Theol. D. & Prof. P. O. in *Prælectionibus publicis* gravissimi momenti doctrinam de *Sacramentis N. T.* pertractabit. *Theologiam dogmaticam* ad ductum *Compendii Vitringiani* & hoc quidem anno prolixè tractabit, addet vero si nobiliff. Dn. Auditoribus ita fuerit visum commentationem breviorè. Ad *Catechismum Heidelbergensem* homileticam offert manuactionem, si justus Auditorum adfuerit numerus. *Examina Theologica* nec non *Disputationes* privatas propter eximiam utilitatem, ut semper continuabit. Suppeditabit quoque ad publice disputandum & materiam & occasionem.

### IN FACVLTA TE JVRIDICA.

JOH. ALEXANDER GVINANDVS H. T. F. PAGENSTECHEER, Jure Consultus & Antecessor, Regiæ Universitatis h. t. Rector; V. D. publice Titulum Pandectarum de *Regulis Juris* illustrabit; privatim autem horis solitis, *Lectiones* ad STRVVII *Compendium Digestorum*; ad ipsum JUSTINIANI *Textum Institutionum*; & ad STRYCKII *Examen Juris Feudalis*, nec non *Collegium Disputatorium* priv. publ. continuabit. *Jus Publicum Rom. Germ.* ad *Examen Juris Publ.* nuper editum, exponere perget. Differentias quoque Juris Civilis, Canonici & Hodierni, monstrabit, illustrando nempe Cl. BÖCKELMANNI *Dissert. Juris Civ. Can. & Hod.* Ceterum offert Coll. *Juris Naturalis, Canonici & Criminalis*; nec in reliquis muneris sui partibus dilectissimis ac diligentissimis suis Auditoribus deerit.

OTTO LVDOVICVS AB EICHMANN, J. U. D. & P. P. O. volente DEO Optimo Maximo I) Jus Naturæ & Gentium beati JOANNIS GOTTL. HEINECCII, Viri post fata Celeberrimi, explicabit. II) Ejusdem Institutiones uti & III) Pandectas interpretabitur. IV) beati SAMVELIS STRYCKII *Examen Juris Feudalis*, aut JACOBI WOLFFII *Elementa Juris Feudorum*, ac V) MICH. HENR. GRIBNERI *Principia Processus Judiciarii* exponet. VI) Jus publicum quoque secundum ordinem *Compendii JACOBI MASCOVII* privatissime docebit, quod *Collegium* jam inchoavit, ac oblata occasione Jura singularia Electoris Brandenburgensis enarrabit.

R

FRI-

FRIDERICVS GOTHOFREDVS J. A. F. SCHLEGTENDAL, Jur. Doct. & P. P. O. h. t. Fac. Juris Decanus B. C. D. publice formam Reipubl. Romanæ Auditoribus suis tradet. Institutiones, Pandectas ac Jus Naturale ad Compendia PAGENSTECHERI & HEINECCI horis consuetis explicabit. Jus Publicum præterea ac Feudale exponet, neque minus Disputationibus privatis Commilitones suos exercebit, ac in reliquis Officii partibus industriæ illorum non deerit.

### IN FACVLTA TE MEDICA.

CHRISTIANVS AREND SCHERER, Med. Doct. & Prof. P. O. h. t. Fac. Med. Decanus, *Elementa artis obstetriciæ* publice explicabit. *Privatim vero Anatomiam, Chirurgiam*, aliaque medica pro Auditorum desiderio docebit. Præterea *Sectiones, Demonstrationesque anatomicas* in ipsis cadaveribus humanis, si ansa dabitur, menibus hybernis instituet, ac in *Exercitio Disputatorio* perget.

JOH. GOTTLOB. LEIDENFROST, Med. Doct. & Prof. P. Ord. publice de *vulnerum lethali tate* tradet. *Privatim Physiologiam medicam* docere perget. *Chemiã*, tam theoreticã quam practicã, experimentis demonstratã, propter temporis penuriam superiori semestri parum provecãtam, cum cura & industria exponet. *Pathologiam medicã* denuo edisserere incipiet. Praxin specialem juxta ordinem aphorismorum BOERHAVII docebit. In laboribus privarissimis continuabit. Nec omittet in disputando exercere industrios suos Auditores.

### IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

JOHANNES AB HAMM, S. Theol. Doct. Lingg. Oriental. Profess. Ord. & Bibliothecæ publicæ Præfectus. *Privatim in Hebraicis, Aramæis, Rabbinicis*, nec non *Arabicis*, atque *sacris Antiquitatibus V. Hebræorum*, ea, qua cepit, sedulitate studia suorum Auditorum amplius juvare non desinet, eoque fini *Collegium Philologicum Sacrum Biblicum*, uti hoc subsidio in Scripturarum accurata intelligentia Sacr. Litt. Cultores prospere progrediantur, denuo aperuit. In *Exercitio* quoque *Disputatorio*, atque reliquis muneris sui partibus indefessã operã pollicetur.

JOHAN-


JOHANNES HILDEBRANDVS WITHOFIVS, Histor. Eloquent. & Græc. Linguae Professor Ordin. in Prælectionibus publicis præter diversas ex omni Romana pariter Græcaque Philologia & Historia Quæstiones, statis diebus interpretationem *Horatii Flacci* continuabit; privatim autem Universalem Historiam ad ductum *Turfellini*, illam vero, quam Medii vulgo *Ævi* vocitamus, juxta Libellum Viri Cel. J. *Petri Ludwigi Entwurf der Reichs-Historie*: Antiquitates Romanas ad filum *Nieuportii*: Philologiam Græcam inter Analysin & explicationem *utriusque Epistolæ ad Timotheum*: Eloquentiæ denique præcepta denuo inter *Annæi Flori* interpretationem tractabit, quibus Poëtica, Oratoria & Epistolographica, aliaque hujus generis meletemata perpetua ferie addentur. Illis etiam, qui exhibitis publice privatimque sive in Oratoria, sive circa Historiam tam sacram & civilem, quam Literariam, aliamve elegantioris Literaturæ partem speciminibus suorum profectuum facere cupient periculum, minime deerit.

JOHANNES JACOBVS SCHILLING, A. L. M. & Philos. Doctor, ejusdemque & Mathem. Professor Ordin. Reg. Scientiarum Academ. Berol. Membrum, Facult. Phil. h. t. Decanus, publice *Arithmeticam & Geometriam* juxta Epitomen Elementorum WOLFIANAM, privatim *Physicam Experimentalem & Dogmaticam* in aureolum Cel. KRÜGERI Compendium, *Logicam* vero & *Metaphysicam* in Cl. BAVMEISTERI Institutiones, solide dilucideque explicabit. In physicis singula Experimentis selectis & jucundis ob oculos ponet. Neque deerit illis, qui in *Philosophia Morali* juxta propriam manuuctionem, vel in *Algebra & Analsi Mathematica* Duce Cel. GRAVESANDE, aut in *Disputationibus* tam publicis quam privatis opem suam & operam efflagitant.

JOHANNES ALBERTVS MELCHIOR, A. L. M. Philos. Doct. & Profess. Ordin. publice quidem Mathesin puram, nec non Physicam Dogmaticam; privatim vero Physicam Experimentalem exponet. Collegium quoque offert Chronologicum. Ad alias etiam sive Philosophiæ, sive Matheseos mixtæ partes explicandas paratissimus studiosæ Juventutis desideria expectabit.

## LECTIONES EXTRAORDINARIÆ.

JOHANNES ANTONIVS DE BLECOVRT, Med. Doctor & Professor Extraord. publice Methodum Mèdendi, privatim alteram partem Aphorismorum Cel. BOERHAVII de cognoscendis & curandis morbis exponet: neque ulli in reliquis sui muneris partibus operam suam denegabit.



Sicut opera Linguæ Gallicæ, ita etiam honestis ac heroicis Corporum Exercitiis dari poterit.

Apparatus quoque Librorum necessariorum in Bibliopoliis, pro cuiusque desiderio, affatim profutur.



Cleve, den 10. Octobr. 1755. \*

Hochwürdige und Hoch-Edelgebohrne, Hochgeehrte Herren!

**E**W. Hochwürden und Hoch-Edelgebohrnen bin vor die gütige Einladung, zu der feyerlichen Begehung, des, den 14. dieses, einfallenden Jubilæi der Duisburgischen Universität, zu allem schuldigen Danck verbunden; Wiewol ich sehr bedaure, daß mir dermahlen ohnmöglich ist, von der darunter zu erweisenden Ehre zu profitiren, weilen beydes, meine Amts-Geschäfte, und die besorglich bald einfallende meiner schwächlichen Gesundheit schädliche Herbst-Witterung, die Beschleunigung meiner Morgen frühe anzutretenden Rückreise nach Berlin erfordern.

R 3

Ich

\* Literæ Illustrissimi Comitis de GOTTER, Ministri Status, & Supremi Rei Veredariæ Præfecti, &c. ad Senatum Academiae Duisburgensis.

Ich will aber auch abwesend meine eysrige Wünsche vor die Aufnahme, den Flor und das fernere Wohlergehen der sämtlichen Academie und der dazu gehörigen Personen den übrigen mit beyfügen, und mir ein ganz besonderes Vergnügen aus jeder Gelegenheit machen, wo ich etwas erspriessliches und dienstergebenstes mit beytragen kan. Inzwischen aber bitte Ew. Hochwürden und Hoch-Edelgebohrne von mir versichert zu seyn, daß ich mit der ausnehmendsten Hochachtung bin

Ew. Hochwürden und Hoch-  
Edelgebohrnen

Ergebenster Diener

GOTTER.

EPI-

EPISTOLA  
ACADEMIÆ DVISBVR-  
GENSIS SECVLARIVM  
SACRORVM NVNTIA,

AD

EXTERAS EVANGELICORVM PER GERMANIAM  
ACADEMIAS TRANSMISSA,

VNA CVM EARVM

*RESPONSORIIS*

ALIISQVE MONVMENTIS,

JVXTA ORDINEM ALPHABETI DIGESTIS.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

EPISTOLA  
ACADEMIAE DVISIVR-  
GENSIS SECVLARIVM  
SACRORVM VNIVRSITATIS  
AD  
ENTRAS EVANGELICORVM PIES GERMANIAM  
ACADEMIAS TRANSMISSA  
VNA CVM EARVM  
RESPONSORIIS  
ALIOVE NOMINE  
JUNCTA ORDINEM ALPHABETI DICESTIS





## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**S**eculum jam effluxit, postquam divina adspirante clemencia, & auspiciis Herois incomparabilis FRIDERICI GUILIELMI Magni, Electoris Brandenburgici, hæc artium quarumvis & scientiarum tam sacrarum quam civilium Officina post plurimas difficultates, continua fere bellorum olim circumstrepentium serie motas, tandem feliciter dedicata est. Nec ab eo tempore, etiam inter gravissimas temporum vices, quas arma Musis plerumque silentium imponentia non semel pepererunt, sacro huic seminario honos ac decus suum per eandem summi Numinis benignitatem unquam imminutum fuit. Tantæ prosperitatis divinitus nobis immerentibus concessæ ut memores simus, hujusque pietatis nostræ aliquod saltem monumentum orbi erudito, & imprimis Posteris nostris relinquamus, non solum laudabilis consuetudo monet,

S

aliis

aliis quoque in locis & Athenæis observari solita, sed ipsius pariter officii ratio, supremo rerum humanarum Statori DEO, simulque Regibus ac Principibus, Dominis atque Tutoribus nostris clementissimis, & inter eos hodierno præcipue summo Musagetæ nostro, maximis superiorum temporum Heroibus ob pacis bellicque artes comparando, debiti, requirit. Cum itaque decretum sit decimo quarto imminenti Octobris die, hujus scilicet Academiæ natali, ac proximis aliquot eum excepturis, inaugurationis istius ante centum annos factæ memoriam Actibus quibusdam panegyricis, aliisque ritibus & institutis tali occasione usurpari consuetis soleniter recolere, hujus novæ & auspiciatæ, sicut ominamur, lætitiæ nostræ Vos, Viri toto orbe celeberrimi, nobisque summo opere & ex animo colendi, gnaros reddere volumus; non dubitantes, quin ob singularem benevolentiam & humanitatem, quam cum excellentissimis ceteris dotibus, vobis æternitatem nominis ex merito spondentibus, conjunxistis, non solum fausta quævis & prospera nobis ipsi largiter apprecaturi, sed, ut idem quoque à præstantissimis civibus vestris, delibato Juventutis flore, fieri queat, præsentem has literas nostras celebratissimæ Academiæ vestræ valvis affigendas curare non dedignaturi sitis;

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Duisburgi ad Rhenum,  
Die XVI. Augusti  
Anno c1o 1000 LV.

*Studiofissimi Cultores*  
**RECTOR ET PROFESSORES**

Academiæ Duisburgensis  
FRIDERICO-GVLIELMIANÆ.

JOH. ALEXANDER GVINANDVS H. T. F. PAGENSTECHER,  
J. U. Doct. & Prof. Ord. h. t. Universitatis Rector.

MA-

## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimique, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**V**alde lætamur, immortalis DEI beneficio VOBIS, Viri celeberrimi, contigisse, ut integro consumto sæculo, diem natalem Academiae VESTRÆ brevi auspiciatissime celebrare possitis. Quemadmodum enim summi Numinis bonitati & providentiæ acceptum ferendum est, esse & manere scientiarum & eruditionis sedes, in quibus etiam posterorum felicitati consulitur, & ingenia communi usui, & rerum publicarum administrationi, coluntur & formantur: ita quoque incolumitas & salus earum non est privata, sed pro publico & sempiterno literarum & doctrinæ vinculo cum communi hominum utilitate ad omnes, five suos, five finitimos, five remotiores pertinet. Hinc & VESTRA Academia Nostræ, anno suo sæculari, illustri humanitatis & officiorum exemplo prævit, & lubens ac prompta in partem gaudii ejus venit, idque suavissimis huc redditis literis testata est. Quocirca nunc, pro eo ac debemus, in vicem ejus rei alacri & erecto agimus animo, & tempus festum felixque otium, quod DEVS ter Optimus Maximus VOBIS facit, sincera congratulatione prosequimur. Unde XIV. venientis Octobris, tanquam die VOBIS, & propter VESTRAM prosperitatem Nostramque amicitiam, etiam Nobis, admodum lætabili, non solum ipsi memoriam & gloriam immortalem FRIDE-

RICI GVILIELMI Magni, Electoris Brandenburgici, cui Academia VESTRA ortum suum debet, reverentissime extollemus, ac hodierni Potentissimique REGIS & TVTORIS Musarum VESTRARVM omnibus fortitudinis numeris absoluti, & singularis doctrinæ gloria exsplendescantis, majestatem, præsidium & clementiam in Academiam VESTRAM Vobiscum demississime colemus: sed etiam humanissimas literas VESTRAS, ad nos datas, publice affigemus, & pubem nostram Academicam sedulo adhortabimur, ut nos cultu & studio votorum pro perenni felicitate VESTRA nuncupandorum decenter imitetur. In fine DEVM, omnis bonæ scientiæ & sapientiæ fontem, & summum Academiarum statorem sancte veneramur, ut Vos dies festos anni sæcularis VESTRI ex animi sententia, atque inter maximam hilaritatem & quietem, videre atque agere jubeat, & clementer efficiat, quo novum sæculum feliciter ingrediamini, atque res VESTRÆ perpetuo floreat, & ab omnibus publicis & privatis incommodis liberæ, VESTRÆ eruditionis gloria, quæ ubique permagna est, nunquam non exoptatissima habeant incrementa. Valere.

*Maximorum & celebrium Nominum Vestrorum*

Aldorfi, d. 8. Septembr.  
A. S. R. 1755.

*Studiofissimi Cultores*

RECTOR ET PROFESSORES

Academiæ Aldorfinæ.

JOHANNES ANDREAS MICHAEL NAGEL,  
Metaphys. Ling. Orient. ac Oratoriæ Prof.  
Publ. & Acad. Biblioth. h. t. Rector.

MAGNI-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Fautores & Amici honoratissimi.*

**Q**uod de celebratione diei natalis inclytæ Universitatis Vestræ nos certiores facere volueritis, Vobis gratias agimus quam maximas, & non deerimus, quo dicto tempore hujus solennis diei omnia Universitatis nostræ membra notitiam habeant. Hujus benevolentia Vestra in Nos argumenti animo obstrictissimo semper erimus memores. Si quis est splendor & gloria, qua Universitas Vestra adhuc augeri possit, eam maxima animi integritate Vobis optamus. Det DEVS T. O. M. ut celeberrima Academia Duisburgensis per multa adhuc floreat secula, ut Juventus in ea ita institui in posterum possit, ut Ecclesia & Respublica magnum inde semper fortia- tur emolumentum. Omnia quæ Vobis ipsis optatis commoda, pio voto apprecantur

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Erfordia,  
Die XXV. Mens. Septembris  
Anno c16cclv.

*Studiofissimi Cultores*

RECTOR, DECANI, ASSESSORES  
ET PROFESSORES

Academiae Erfordienfis.

JOANNES ARNOLDVS DE BELLMONT,  
Electoralis Regiminis Consiliarius,  
Universitatis h. t. Rector.

S 3

RE-

# RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICE,

*Viri summe Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi, Fautores & Amici honoratissimi.*

**N**on sine suavi animorum motu, qualis litteratos Viros decet, ex humanissimis Vestris litteris d. XVI. Aug. ad nos datis cognovimus, quanto vos apparatu solemnia secularia conditæ Academiæ Duisburgensis, quam Vos nunc Nominum Vestrorum splendore egregie ornatis, propediem sitis celebraturi. Nec dubitamus, digna in Vestris Musæis atque Auditoriis spectacula isthoc die exstitura esse, quæ è longinquo Spectatores & Auditores evocare, & ad cognoscendos redeuntis Natalis Academiæ Vestræ ritus allicere possint. Itaque statim civibus nostris sanctiores Ludos seculares, qui apud Vos pararentur, usitata Programmatum forma, significavimus, Vestrique purissimi gaudii participes eos reddere allaboravimus; quid quod & nostri gaudii. Agnoscimus enim hilariori animo magnum divinæ clementiæ munus, quod Scholam omnium bonarum artium tam illustrem, reique feliciter gerendæ tam commodam, per tot lustra à damno quovis graviore salvam ac plane tutam præstiterit; id quod in ista rerum humanarum  
fragi-

fragilitate, atque atrocissimarum calamitatum, quibus orbis vexatur, frequentia, rebus vel ab ipsa posteritate celebrandis, suo jure annumeratur. Fruamini itaque, Viri celeberrimi, deque re literaria meritissimi, innocentibus gaudiis, Vobis per ipsam elapsum per tot annos gaudiorum memoriam jam allatis. Nos vero & votis Vestris pro perpetua Vestræ Academiæ salute publice suscipiendis, consensu nostro, quin & precum conjunctione, nequaquam simus defuturi. Habetis testeram nostrorum animorum, bonis omnibus, quidni Viris tanta doctrinæ atque virtutis laude inclytis, addictissimorum, quos ut sui semper similes futuros existimetis, est, quod humanissime rogamus. Erlangæ d. XII. Octob. 1705.

PRORECTOR, PROCANCELLARIUS  
ET RELIQUI PROFESSORES

Academiæ Fridericianæ Erlangenfis.

D. HENRICVS FRIDERICVS DELIVS,  
Sereniff. Marggrav. Brandenb. Culmbac.  
Consil. Aul. Medic. Prof. Publ. Ord.  
h. t. Prorektor.

PRO-

PRORECTOR VNA CVM  
 PROCANCELLARIO ET SENATV  
 CIVIBVS ACADEMICIS

S. D.

**S**ecularem rerum gestarum, & conditarum, memoriam, gentes quælibet non barbaræ, sacram habere, & religioso Numinis cultu celebrare fueverunt. Intellexerunt enim, magnum quid esse, nec sine præsidio divino obtinendum, si quidpiam humano præsertim consilio institutum, in tanta rerum hominumque fragilitate centum annos perduret; & superatis periculis, quæ nunquam per tot annos ab ulla re abesse solent, stet saluum atque incolume. Obtemperandum huic consuetudini maxime laudabili duxit inclyta Academia Duisburgensis; natalem suum propediem, nempe XIV. Octobris, religiosis doctisque quibusvis ceremoniis, elapso ab ejus natiuitate primo sæculo, celebratura. Significavit ejus Academiae Ampliissimus Senatus nobis sua gaudia humanissimis litteris, & ut Vos, Cives suavissimi, de instanti Jubilæo Duisburgensi certiores faceremus, amice petiit. En! ipsas litterarum tabulas typis impressas, hujus Programmatis lateri adherentes, ex quibus voluntatem Patrum istius Academiae penitus cognoscere potestis. Vestrum est, judicare, num forte quibusdam ex vestro ordine ad ista erudita spectacula coram contemplanda excurrere expediat? Cæterum officio humanitatis vel sic satisfacisse judicabimini, si Academiae celeberrimæ Duisburgensi, nobiscum fausta quævis apprecati fueritis. P. P. Erlangæ d. XXX. Sept. A. R. S. c18cclv.

*Affixum d. 1. Oct. a. ej.*

(L.S.)

JO. MICH. PFÜNDEL.  
 MA-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi Fautores & Amici  
honoratissimi.*

**M**agnam oportet vestram esse lætitiã, dum inter difficultates tantas natam Academiam, ut scribitis, seculari solennitate prima celebrare, & inter memorabilia rei litterariæ referre contenditis, quod sub tanto Conditore in luminis oras producti, quem universus orbis inter præcipuos Tutos studiorum veneratur, tempestatem superiorem ac nostram, multo pluribus luminibus litterarum ornastis, quam dies ævi computatis. Etenim inter speciosa domus nostræ repetimus merito mirabilem concordiam ac temperiem inter dissidentes hominum, rerum, imo elementorum procellas, ut quod vel nomen ipsum arguit FRIDERICI WILHELMI, id ab eo ad felicem exitum deductum ac promotum Vobiscum gaudeamus, quod WILHELMVS Cliviæ Dux ob ingruens bellum missum facere, ac veluti rem desperatam de manibus deponere cogebatur. Mirabimini ergo merito nobiscum sapientem illam ac providam curam Principum nostrorum, qui ut DEVS ipse ex dissidio elementorum pulcherrimum mundi opificium, ita ipsi dum studium galeæ cum divitiis pacis prudenter miscent & temperant, id divina providentia opiculante proferunt & ad spectaculum evehunt, quod omnes nunc potestates mundi mirantur & ad imitandum sibi proponunt. Atque hoc idem est, quod in fabulis stadiorum Orphei lyram appellamus, qua iste ex discrepantiis sonorum mirabilis concentus efformatur, quemque noster hodie Princeps unicus sua divinæ Musices cura & scenicarum repræsentationum cultu ac varietate profusa, omnibus statibus & sæculis commendare & inculcare nunquam

T

desinet.

desinet. Probamus itaque mirifice vestrum istud studium extollendi muneris divini, quo Vos clementissimum Numen affecit: & prout sorores sumus Viadrina & Teutoburgensis, jungimus gratulationes cum Vestris nostras, ut DEVS Vestra initia Jubilæorum ad florentem maturitatem perducatur, & fortunet illam Institutionem Vestram bonarum litterarum, ut exstruatis inde magis magisque viridarium fecunditatis omnis & ornamentorum pacis & elegantis vitæ, dumque nos usu & ætate anteceditis, Vos vigore & robore valeatis, ad decus Prussum evehendum, & ad felicissimi hujus per divinam abundantem gratiam imperii proventum, cum memoria futuræ ætatis & posteritatis omnis ubertate & copia adæquandum. Quemadmodum autem Vobis gratias agimus, Viri Summi & Excellentissimi, pro honore Vestræ commemorationis apud nos Vestri instituti, ita certiolem faciemus Juventutem nostram de Vestro instituto, imo evolabimus omnes mira quadam alacritate animorum, ne exclusis quidem senibus & infirmis, ad Vestram illam festivitatem sæcularem coram quasi oculis usurpandam, DEVM interim O. M. celebraturi privatim pro hac impensa Vobis gratia, eundemque in vota nostra vocaturi, ut hoc decus divinæ & humanæ Musæ Vobis perpetuum esse jubeat ad divini Nominis sui honorem, & ad voluptatem gentium & ad ornatum simul nominum Vestrorum, domuum ac familiarum, hoc primum Jubilæum pullulare & exurgere faciat in arborem gloriæ, quæ omnibus & singulis Vobis Vestrisque umbræ & jucunditati sit. Valete de amicitia & affectu nostro securi, qui sumus

*Nominum Vestrorum fulgentissimorum*

Francfurti cis Viadrinam  
Die XIII. Septemb.  
Anni clō lxxc lv.

*cupidissimi studiosissimique*

RECTOR, DIRECTOR, MAGISTRI  
ET DOCTORES, PROFESSORES

Academiæ Regiæ Viadrinæ.

J. G. DE HACKEMAN, RECTOR Acad.  
MAGNI-

## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi, Excellentissimique, Fautores & Amici honoratissimi.*

**P**er jucundum nobis erat, multumque voluptatis afferebat, quum ex humanissimis Vestris literis die XVI. mensis Augusti ad nos datis cognosceremus, brevi tempore fore, ut lætissimus ille Vobis atque exoptatissimus illucescat dies, quo secularem Academiae Vestrae natalem inter communes ac festivos plausus, carimoniisque debitis, celebrare constitutum est. Quod vero hoc præstantissimum Vestrum sapientiæ ac literarum omnium Emporium non solum ante hos centum annos feliciter excitatum atque institutum sit, sed & varias inter procellas & pericula, quibuscum ipsi diu multumque colluctandum fuit, tamen steterit hucusque manseritque factum tectum & inconcussum, imo hoc anno centesimum ætatis salvum & incolume propediem attingere possit, id utrumque à Vobis jure meritoque præcipuis ac singularibus divinæ benignitatis documentis adnumerabitur; quare & uberrimam procul dubio præbebit lætandi materiam. Quum vero ex iisdem gratissimis Vestris literis simul perspexerimus, Vos ejus rei, nempe instantis Vobis moxque agenda solennitatis nos non solum certiores reddere, sed etiam nostram Academiam in gaudiorum Vestrorum societatem humanissime excitare ac vocare voluisse; non potuimus non hancce Vestri tam blandi alloquii suavitatem insigne propensæ Vestrae erga nos voluntatis argumentum, honorique nobis ducere. Gratulamur itaque celebratissimæ Academiae Vestrae tot tantasque gravissimas præteritorum temporum difficultates optatò superatas; gratulamur Eidem constantem, quo ga-

vifa est, feculi jam fere exacti florem, honorem ac decus, per tot annorum decursum nunquam imminutum; gratulamur denique, pro communi rei literariæ vinculo, & Vobis, Viri celeberrimi, quos vivos valentes ac tantæ sæculi lætitiæ superstites esse voluit divina providentia, hanc eximiam temporum felicitatem. Supremum Numen diem illum exoptatissimum, festumque natalitium Vobis lætissimis non solum faustum felicemque jubeat exoriri, sed & eundem summa omnibusque numeris absoluta animi voluptate transigere det atque largiatur. Solemnia Vestra inter publica publicæ lætitiæ signa ad votum agite, peragite. Omnia cedant bene, prospere, feliciter! Vestris nostra quoque licet absentes adjungemus vota, & nuncupabimus pro Vestra, patriæque pariter ac Academiæ ulteriori salute, incolumitate, totiusque Reipublicæ literariæ flore ac incremento, DEO supplicaturi. Ceterum easdem Vestras typis exscriptas literas, uti rogastis, tabulis Academiæ nostræ publicis affiximus, civiumque nostrorum oculis exposuimus, ut hac ratione illis quoque ea, quam paratis, secularis literariæ civitatis Vestræ solemnitas & celebritas apud Vos instituenda innotesceret. Valete, & rebus ubique secundis florete. Dabamus Gissæ d. VII. Octobr. MDCCLV.

*Celeberrimorum Nominum Vestrorum*

*Studiosissimi*

RECTOR, CANCELLARIUS  
ET PROFESSORES RELIQUI

Academiæ Ludovicianæ.

Dr. IO. ERNESTVS HOEPFNER,  
diversorum S. R. I. Principum Consilia-  
rius Aulicus & in Academia Gieff.  
Prof. Juris Ord. hocque  
anno Rector.

ACA-

ACADEMIÆ DVISBVR-  
GENSIS FRIDERICO-  
GVILIELMIANÆ

RECTOR MAGNIFICE,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Fautores & Amici maxime  
honorandi.*

**A**ccepte exempla aliquot Programmatis, quo epistolam vestram, quam signum vestri in nos amoris interpretamur, cum civibus nostris communicavimus. Idem cum nostri etiam de illa solemnitate sensus testimonium contineat, nihil superest, quam ut faustos vobis, Viri celeberrimi, annos quamplurimos fert humana conditio, Academiæ autem tot nova sæcula, quot habebit hic terrarum orbis, ex animo precemur.

*Insignium ad omnem laudem Nominum Vestrorum*

Gottingæ a. d. XVII. Sept.  
MDCCLV.

*Cultores studiosissimi*

PRORECTOR ET SENATVS

Academiæ Georgiæ Augustæ.

JO. MATTHIAS GESNERVS, PROR.

T 3

ACA-

ACADEMIÆ GEORGIÆ AVGVSTÆ PRORECTOR

IO. MATTHIAS

GESNERVS

CVM SENATV

CIVIBVS S.

*Quid ad nos de celebrandis sacris secularibus suis scripserit incluta Duisburgensis Academia, hic proponitur, tum quod ipsa hoc à nobis petiit, tum quod æquum putamus, vos, CARISSIMI CIVES, in societatem celebrationis illius & gratulationis venire.*

MAGNIFICE  
DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Fautores & Amici honoratissimi.*

Seculum jam effluxit, postquam divina adspirante clementia, & auspiciis Herois incomparabilis FRIDERICI GVILIELMI Magni, Electoris Brandenburgici, hæc artium quarumvis & scientiarum tam sacrarum quam civilium Officina post plurimas difficultates, continua fere bellorum olim circumstrepentium ferie motas, tandem feliciter dedicata est. Nec ab eo tempore, etiam inter gravissimas temporum vices, quas arma Musis plerumque silentium imponentia non semel pepererunt, sacro huic seminario honos ac decus suum per eandem summi Numinis benignitatem unquam imminutum fuit. Tantæ prosperitatis divinitus nobis immerentibus concessæ ut memores sumus, hujusque pietatis nostræ aliquod saltem monumentum orbi erudito, & inprimis Posteris nostris relinquamus, non solum laudabilis consuetudo monet, aliis quoque in locis & Athenæis observari solita, sed ipsius pariter officii ratio, supremo

mo rerum humanarum Statori DEO, simulque Regibus ac Principibus, Dominis atque Tutoribus nostris clementissimis, & inter eos hodierno præcipue summo Musagetæ nostro, maximis superiorum temporum Heroibus ob pacis bellicque artes comparando, debiti, requirit. Cum itaque decretum sit decimo quarto imminentis Octobris die, hujus scilicet Academiae natali, ac proximis aliquot eum excepturis, inaugurationis istius ante centum annos factæ memoriam Actibus quibusdam panegyricis, aliisque ritibus & institutis tali occasione usurpari consuetis, solenniter recolere, hujus novæ & auspicae, sicut ominamur, lætitiæ nostræ Vos, Viri toto orbe celeberrimi, nobisque summo opere & ex animo colendi, gnaros reddere volumus; non dubitantes, quin ob singularem benevolentiam & humanitatem, quam cum excellentissimis ceteris dotibus, vobis æternitatem nominis ex merito spondentibus, conjunxistis, non solum fausta quævis & prospera nobis ipsi largiter apprecaturi, sed, ut idem quoque à præstantissimis civibus vestris, delibato Juventutis flore, fieri queat, præsentem has literas nostras celebratissimæ Academiae vestræ valvis affigendas curare non dedignaturi sitis;

*Maximorum ac celebrium Noninum Vestrorum*

Duisburgi ad Rhenum,  
Die XVI. Mens. Augusti  
Anno 1662.

*Studiofissimi Cultores*

**RECTOR ET PROFESSORES**

Academiae Duisburgensis  
FRIDERICO-GVLIELMIANÆ.

JOH. ALEXANDER GVINANDVS H. T. F. PAGENSTECHEP,  
Jurium Doctor & Antecessor, Universitatis Regiæ  
hoc tempore Rector.

*Tot sunt ab hac literarum Univerſitate per hocce centum annos in eruditionem atque virtutem profecta merita, ut qui has amat, non possit non ad gratias excubanti pro illa celeſti Providentiæ agendas per hanc occasionem incitari. Hoc itaque nobiscum facietis, Cives, & virtutis atque bonarum literarum studiosos his vinculis, ubicunque vivant, inter se conjunctos esse, cogitabit. P. P. a. d. XVII. Septembris, quem nostræ Academiae natalem u. læta posteritas & hic & Duisburgi centesimum aliquando celebret, pia vota nuncupamus.*

RE-

REGIÆ DVISBVRGENSIS  
ACADEMIÆ

MAGNIFICE DOMINE  
RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores & Amici  
honoratissimi*

**E**st singularis quædam eruditorum inter se omnium copula ac necessitudo, quæ ab ipsa litterarum cognatione profecta, Viros doctrinæ cupidissimos, ut ut locorum spatiis longe disjunctos, arctiori certè, ut arbitramur, necit & conjungit vinculo, quam quod ulla animorum similitudo alia, aut convictus, etiam familiarissimus, conficere ac præstare imperitis videntur posse. Neque enim is humanissimo eruditionis nomine dignus censeretur, ullo recte sentientium judicio, potest, si quis ineptus artis suæ ostentator, aliorum, qui ejusdem, vel alius forte non minus laudabilis, studio doctrinæ tenentur, aut famam infectetur, aut invidet fortunæ.

Præsertim vero litterariæ illæ Respublicæ, quæ Academiæ vulgo appellantur, communi quadam, uti negotiorum ac finium, ita quoque fatorum, quantumvis hæc sæpe videntur discrepare, societate invicem continentur, adeoque, si, quod res est, fateamur, nihil sibi mutua benevolentia & æquitate honestius; pulchrius, fructuosius etiam nihil, putare debent.

bent. Quapropter libentissime à nobis factum est, ut humanitati Vestroque, Viri toto orbe celeberrimi, voto obsequentes, REGIÆ ACADEMIÆ DVISBVRGENSIS natalem anni centesimi diem & primum nunc repetita faustissimæ dedicationis Sacra, litteris Vestris, tantæ gratulationis indicibus, unà cum præsentis edicto publice adfixis, quotquot apud nos sunt, litteratis Hospitibus ac Civibus Academicis rite significaremus.

Faxit supremum Numen, sincere vovemus, ut sæcularis isthæc celebratio perenni docentium discipulorumque felicitate atque bonorum omnium incremento quam sæpissime recurrens, auspiciatissimam illam tot votorum, quæ nunc ubique concipiuntur, absolutionem, quantum usque sperare liceat, Academiae Duisburgensi totique lætæ posteritati cœlitus exhibeat, sistat, repræsentet!!!

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Grypeswaldiæ Die XIV. Mens. Oct.  
Anno clo Io cclv.

*Studiofissimi Cultores*

**PRO-RECTOR ET PROFESSORES**

Academiae Regiæ Grypeswaldensis.

**CAROLVS JOHANNES KELLMAN,**

Eloq. ac Poëf. Prof. Reg. Ord. hoc anno

Acad. Pro-Rector ac Comes

Palat. Cæsareus.

U

OMNIVM

OMNIVM ORDINVM

LITTERATIS HOSPITIBVS  
CIVIBVSQVE ACADEMICIS

PRO-RECTOR

ET

SENATVS ACADEMIÆ GRYPHICÆ  
S. & O.

Quod commune illud mutuæ benevolentiae officium, quod integras etiam litterarum Officinas inter se conjungit, à nobis postulavit, ut nempe post centum annos recurrens ACADEMIÆ REGLÆ DVISBVRGENSIS natalis Dies & prima sæcularia Sacra, HVJVS rogatu, publice VOBIS significarentur; huic ipsi, adfixis litteris præsentibus, ex more jam satisfacimus, studiosissime simul rogantes, velitis, Universi & Singuli, EJVSDEM ACADEMIÆ RENASCENTIS gaudia, hodierna luce celebrata, non solum lubentissimis animis, vocibus, verum etiam sinceris, pro ILLIVS perenni flore & felicitate ad DEVM fundendis, votis precibusque, unà nobiscum, prosequi ac complecti.

Præsertim vero Vos, o Cives Academici, tristissimo illo, qui ante aliquot dies hic accidit, casu, commonefacti impense hortamur, ut, summo pietatis studio, obsequioque legum caveatis, ne, dum integram aliorum fortunam ac tranquillitatem, uti decet, congratulamur, nostram aliquam ab his diversam sortem, ullius saltem Vestrûm culpâ, videamur merito dolere & conqueri. Gryph. Die XIV. Mensis Octobris Anno c180cclv.

MAGNI-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**L**iteras Vestras, Viri plurimum venerandi, decimo quidem Kalendas Augusti signatas, paucis tamen abhinc diebus ad nos usque delatas recepimus; indeque summo non nisi cum gaudio advertimus almæ Academiæ Vestræ memoriam redire natalem, quæ divinâ favente clementiâ magnum Electorem Brandenburgicum, FRIDERICVM GVILIELMVM, sæculo ab hinc elapso gratâ mente suspexit Fundatorem gloriosum, atque inter gravissimas annorum vicissitudines, tot inter bellorum moles quolibet major fato usque ad modernum felicissime regnantem FRIDERICVM, serenissimum ac potentissimum Borussia Regem & Electorem Brandenburgicum, effloruit integerrime. Hunc igitur diem Vestræ Academiæ sacrum, ut summo lætitiæ apparatu festivos inter Musarum concentus inaugurare possitis, nostros quoque Cives Academicos in partem lætitiæ publicæ vocare dignati estis. Nos proinde ut abundanter

danter perspectam reveremur humanitatem Vestram, ita & animitus de hoc felicissimo temporis reditu gratulamur, devotissime cupientes, ut prædicta Academia Vestra, quæ centum usque annis omni doctrinarum genere extitit celeberrima, in ævum tranquilla perennet, & digna sæculis fama celebrior semper exurgat. Atque ut hæc innotescant omnibus, pro Vestro placito valvis Academiæ nostræ literas Vestras affigi curavimus perpetuis merita Vestra obsequiis revereri parati

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Heidelbergæ ad Nikarum  
die XVI. Septembris  
Anno c16cclv.

*Studiosissimi Cultores*

**RECTOR ET PROFESSORES**

Studii Generalis Heidel-  
bergenfis.

**CHRISTIANVS MAYER, S. J.**  
p. t. Rector. mpp.

MA-

## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, &  
Excellentissimi Fautores & Amici honoratissimi.*

**N**os vero pro honore, quo bonas literas, & Vestra in eas  
merita prosequimur, non possumus Academiae Vestra-  
tis fortuna, eaque præcipue felicitate, qua centesimum jam  
Natalem suum celebrat, non impense lætari. Etenim illis,  
qui asserendæ literarum dignitati navant operam, nihil potest  
esse optabilius, quam sapientiæ & bonæ mentis domicilia mul-  
to annorum decursu à temporum injuriis salva & integra flo-  
rere, novisque exurgere ornamentis. Itaque etiamsi fama  
tantum nobis innotuisset sacrum, quod apud Vos apparatus,  
sæculare, dubium tamen non est, quin multum nobis vo-  
luptatis attulisset. Nunc cum ipsi literis ad nos humanissime  
datis gnaros nos ejus rei & Vestræ lætitiæ consortes reddere  
voluistis, hoc simul humanitatis Vestræ documento mirifice  
recreamur, atque hoc lubentius in partem officii, & in cele-  
britatis Vestræ societatem venimus. Quare de sæcularibus fe-  
riis, quas divina Vobis præstitit benignitas, læti lubentesque Vo-  
bis gratulamur, & DEVM comprecamur immortalem, ut pri-  
stino Academiae Vestratis splendori cum novi sæculi primor-

diis nova fortunæ incrementa addat, eamque rebus ubique  
 secundis florentem per plura sæcula propitius conseruet &  
 tueatur. Ceterum ut studii erga Vos nostri documentum ex-  
 taret, & desiderio, quod nobis exposuistis, satisfaceret, literas  
 Vestras, celebritatis apud Vos institutæ interpretes, publica-  
 vimus, & cives nostros, ut eam piis votis & ominibus pro-  
 fequerentur, hortati sumus, tabulis in publico propositis, qua-  
 rum aliquot exempla transmittimus. Valete. Dat. Helmsta-  
 dii, ipso die sacri Sæcularis Vestri, pridie natalis Academiae  
 nostræ.

*Celeberrimorum Nominum Vestrorum*

*Studiosissimi*

**PRO-RECTOR ET PROFESSORES**

Academiae Juliae Carolinae.

**JOANNES CHRISTIANUS WERNSDORF,**  
 Eloq. & Poët. P. P. O. h. t. Pro-Rector.

SA-

SACRVM SÆCVLARE  
ACADEMIÆ  
TEVTOBVRGENSIS

ET

NATALEM ANNIVERSARIVM ACADEMIÆ  
**JVLIÆ CAROLINÆ**

OB RENOVATAM SIMVL  
PACIFICATIONIS AVGVSTANÆ  
SÆCVLAREM MEMORIAM

RELIGIOSE CELEBRANDVM

A. D. XIV. ET XV. OCTOBRIS A. R. S. cō Iocō IV.

INDICVNT

**PRORECTOR ET SENATVS**

ACADEMIÆ JVLIE CAROLINÆ.



*HELMSTADII,*

TYPIS VIDVÆ P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

RECVSVM DVISBVRGI AD RHENVM.

ACADEMIÆ JULIÆ CAROLINÆ  
PRORECTOR

JO. CHRISTIANVS WERNSDORF

ELOQV. ET POES. P. P. O. ET ORDINIS PHILOS. H. T. DECANVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

**M**ultum antiquis monumentis celebratur societas, quam in celebrandis ludis & agonibus sollempnibus quondam co-luerunt civitates Asiæ Proconsularis. Nam si qua earum Dei aut Augusti alicujus Numini, cujus singulare in se beneficium extaret, sacra sollempnia instituisset, in ejus celebritatis societa-tem veniebant aliæ civitates, eamque rem communi studio ad-juvabant. Et quando è communi provinciæ consilio vota pro salute Principis solvenda essent ludis & agonibus publicis, con-cursus fiebat aliarum civitatum eam in urbem, quæ jus & pri- vilegium ludorum publicorum eo tempore accepisset. Te-stantur hoc monumenta aeris veteris, in quibus ob sollempnis sacri celebritatem in consilio Asiæ peractam το ΚΟΙΝΟΝ ΑΣΙΑΣ memoratur, \*) & civitates, quæ ludis & sacris publicis per- functæ sunt των ΝΕΩΚΟΡΩΝ titulo \*\*) superbiunt. Quarun- dam etiam, quibus singularis fuit sacrorum & munerum so- cietas, 'ΟΜΟΝΙΑ \*\*\*) in numis celebratur.

Ea est civitatum literatarum, quæ Academiæ vocantur, celebritas, ut cum civitatibus Asiæ Νεωκοροῖς haud inepte con-ferri queant. Etenim cum propter disciplinam omnis doctri-  
næ

\*) Vid. SPANHEMIVS *epist. I. ad Morell. p. 93. & V. p. 289. seq.*

\*\*) Eum interpretatur HARDVINVS *num. pop. & urb. ill. p. 1. seq.*  
BEGERVVS *Tbes. Brand. Tom. I. p. 486.*

\*\*\*) SPANH. *præst. num. Tom. I. p. 143. VAILLANT Num. Gr. p. 221.*

næ liberalis, quam in nobilissimæ cujusque juventutis frequentia profitentur, tum maxime, ubi natalem suum ritu & cerimonia sollemni celebrant, amplissimum ΝΕΩΚΟΡΟΥ elogium sibi vindicare posse videntur. Sunt illæ omnis sapientiæ, religionis & disciplinæ custodes & ædituæ, & factum rectumque pacis bellique artium, quibus res & salus publica continetur, honorem conservant. Et quemadmodum eruditos præstantesque Viros, qui rerum præclare gestarum memoriam ab interitu vindicant literis, ædituos virtutis belli domique spectatæ vocavit Poëta Venufinus, †) sic certe Academiae sunt ædituæ magnorum Principum, conditorum suorum. Qui cum literis & ingeniis honorem præstent Academicarum conditu, merito ab iis memoriæ suæ celebrationem, & fructum meritorum suorum expectant. Quod si Asiæ quondam civitates sollemnes instituerunt ludos propter dedicatum Dei alicujus vel Augusti fanum, aut singularem aliquam Reipublicæ suæ felicitatem, ejusque rei causâ sollemne Νεωκορον nomen assumerunt, non minori sane jure Academiae honorem habent conditoribus suis, & instaurationis suæ memoriam ritu & cerimonia sollemni renovant. Sacra sunt magnarum rerum auspicia, & Academicarum origines hoc magis celebrari merentur, quo illustriorem illæ in re publica locum obtinent, & quo majori dignitate effulgent, sedes omnis disciplinæ humanioris & doctrinæ liberalis, à quibus omnia salutis publicæ præsidia & adjumenta proficiscuntur. Sed ut aliarum civitatum, quæ iisdem utuntur juribus, sic Academicarum etiam, propter studiorum communionem, singularis quædam copula & consociatio est. Quam cum aliis in rebus, tum maxime in celebritate natalium suorum merito invicem testantur, perinde ut Asiæ quondam civitates, quarum ludis sollemnibus το Κοινον Ασιας & aliarum civitatum ὁμονοια splendorem & celebritatem dedit.

Sollemnia sacra hoc anno, die XIV Octobris, instituit, & alterum ab instauratione sua sæculum auspiciatur ACADEMIA

X

ΤΕΥ.

†) Epist. II. 1. 230.

TEUTOBURGENSIS. Quæ cum anno supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo & quinto condita, per hos centum annos inter tot rerum humanarum vicissitudines & in multa bellorum calamitate non perstiterit solum in hunc diem, sed decus etiam suam conservaverit auxeritque, merito jam summo rerum humanarum Statori supplicat, & pro tantis beneficiis vota ritu cerimoniarumque sollemni persolvit. Habet eadem in conditore suo, FRIDERICO GVLIELMO, Magno, exemplum Herculis Musagetæ, cujus memoria, æternitati dudum consecrata, digna certe sæculari celebratione est. Qui cum operum suorum excellentia, & rerum gestarum magnitudine orbis Europæi admirationem excitasset, illud debere memoriæ & gloriæ suæ videbatur, ut Teutoburgi ædem Musis diceret, perpetuum monumentum honoris virtutisque suæ. Neque minus Nutricii sui serenissimi, Regis pace belloque magni, hoc anno summam in se munificentiam veneratur, cujus non solum benignitate & gratia floruit adhuc & sustentata est, sed jussu etiam & munere natalem suam sæcularem sollemni ritu celebrat. Habet igitur Teutoburgum hoc sacro suo sæculari amplissimam materiam pietatis & lætitiæ publicæ, meritoque honorem & officium jam sustinet Academiæ ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Ad cujus sollemne gaudium pro societate literatarum civitatum merito se adjungit ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ Germaniæ eruditæ, & nostra pariter applaudit Acedemia, cujus ea sibi humanissime efflagitavit ὁμονοίαν. Etenim literis ad nos datis non solum fieri sæcularis à se instituendi significationem dedit, sed ut idem vobis etiam, Cives optimi, literis publice propositis, notum faceremus, peramanter rogavit, nosque adeo omnes in partem officii sollemnis & in gaudii sui vocavit societatem. Huic amantissimo desiderio ne qua ratione defuisse videremur, & quo melius vobis, Cives, de institutis Teutoburgi sollemnibus constaret, non solum his vos tabulis alloqui, sed ipsas quoque literas Academiæ Teutoburgensis ad nos missas proponere consultum duximus. Has igitur habete:

MA-

## MAGNIFICE DOMINE PRORECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**S**eculum jam effluxit, postquam divina adspirante clementia,,  
& auspiciis Herois incomparabilis FRIDERICI GVLIELMI,,  
Magni, Electoris Brandenburgici, hæc artium quarumvis &,,  
scientiarum tam sacrarum quam civilium officina post plurimas,,  
difficultates, continua fere bellorum olim circumstrepentium,,  
ferie motas, tandem feliciter dedicata est. Nec ab eo tempore,,  
etiam inter gravissimas temporum vices, quas arma Musis ple,,  
rumque silentium imponentia non semel pepererunt, sacro,,  
huic seminario honos ac decus suum per eandem summi Nu,,  
minis benignitatem unquam imminutum fuit. Tantæ prospe,,  
ritatis, divinitus nobis immerentibus concessæ, ut memores si,,  
mus, hujusque pietatis nostræ aliquod saltem monumentum,,  
orbi erudito, & imprimis posteris nostris relinquamus, non,,  
solum laudabilis consuetudo monet, aliis quoque in locis &,,  
Athenæis observari solita, sed ipsius pariter officii ratio, supre,,  
mo rerum humanarum Statori DEO, simulque Regibus ac Prin,,  
cipibus, Dominis atque Tutoribus nostris clementissimis, &,,  
inter eos hodierno præcipue summo Musagetæ nostro, maxi,,  
mis superiorum temporum Heroibus ob pacis bellicque artes,,  
comparando debiti, requirit. Cum itaque decretum sit decimo,,  
quarto imminentis Octobris die, hujus scilicet Academiæ natali,,

„ac proximis aliquot eum excepturis, inaugurationis istius ante  
 „centum annos factæ memoriæ actibus quibusdam panegyri-  
 „cis, aliisque ritibus & institutis, tali occasione usurpari consuetis,  
 „sollenniter recolere, hujus novæ & auspiciatæ, sicut ominamur,  
 „lætitiæ nostræ Vos, Viri toto orbe celeberrimi, nobisque sum-  
 „mopere & ex animo colendi, gnaros reddere volumus; non  
 „dubitantes, quin ob singularem benevolentiam & humanita-  
 „tem, quam cum excellentissimis ceteris dotibus, vobis æter-  
 „nitatem nominis ex merito spondentibus, conjunxistis, non  
 „solum fausta quævis & prospera nobis ipsi largiter apprecatu-  
 „ri, sed ut idem quoque à præstantissimis civibus vestris, de-  
 „libato Juventutis flore, fieri queat, præsentibus has literas  
 „nostras celebratissimæ Academiæ vestræ valvis affigendas cu-  
 „rare non dedignaturi sitis. Duisburgi ad Rhenum, die XVI  
 „Mens. Augusti, Anno 1725 CCLV.

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Studiosissimi Cultores  
 RECTOR ET PROFESSORES  
 Academiæ Duisburgensis  
 FRIDERICO-GVLIELMIANÆ.

Nos qui honori & fortunæ inclitæ Academiæ Teutoburgensis  
 sincere favemus, non solum officio humanitatis, quo nos amicis-  
 simæ ejus literæ obstrinxerunt, sed literarum etiam honore ducti,  
 hanc tam insignem ei felicitatem lubentes meritoque gratulamur,  
 & DEO T. O. M. religiose supplicamus, ut hoc illustre literarum  
 domicilium sartum tectumque & suis ornamentis exsplendescens  
 illibato decore perennare & florere jubeat, efficiatque, ut sacris his  
 secularibus olim plura addat, & quod in numis est, ΔΙΣ ΤΡΙΣ  
 &

& ΤΕΤΡΑΚΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΣ, ††) apud serissimam posteritatem audiat. Vos etiam, Cives ornatissimi, ad eandem votorum pietatem excitamus, hortamurque, ut pro artium & scientiarum officinis, & pro universæ rei literariæ salute & incremento summum rerum humanarum Moderatorem obtestemini.

Atque hujus votorum religionis non sola nos Academia Duisburgensis, sed nostra etiam & privata causa admonet. Etenim hæc etiam cum ea Academia nostræ ὁμολογία intercedit, quod ejus sacrum sæculare nostræ excipit natalis dies anniversarius. Scitis die XV Octobris memoriam instauratæ Academiae nostræ quotannis sacra cerimonia, & Solemni oratione celebrari, & qui jam instat, natalis septuagesimus nonus supra centesimum est. Sed si unquam hic dies pie religioseque à nobis transactus est, hoc certe anno debet. Etenim illud in tempus incidit, quo pleni religione & pietate summi beneficii divini memoriam recolimus, quod nostram Academicam non minus, quam universam Germaniam spectat, pacis scilicet auspiciatissimæ, duobus abhinc sæculis Augustæ Vindelicorum religionis tuendæ causa conditæ. Cujus beneficii ea magnitudo est, ut cogitatione non satis æstimari, nedum oratione celebrari queat. Quo scilicet religio, à priorum colluvione temporum repurgata, Germanorum Principum consensu collocata in tuto est, tot hominum sanguis crudeliter fusus fide mutua & sancita pacis religione expiatus, metus omnis à cervicibus nostris depulsus, nobis omnibus libertas, atque aris focus & delubris nostris securitas restituta est. Neque vero hæc pacis sanctio religioni & sacris magis, quam eruditioni & bonis literis, præsidio fuit, quæ, oppressæ antea metu & barbarie, nunc spiritum quasi resumere & exsurgere per Germaniam visæ sunt. Ipsa hæc nostra literarum sedes incunabula sua religioni in libertatem vindicatæ debet. Nam Divus JULIUS cum expiatæ religionis sacra his in

X 3

terris

††) Vid. HARDVINUS l. c. PETR. ZORNIVS Biblioth. ant. q. p. 33.

terris instaurasset, quo minus intercidere aut detrimentum possent capere, fretus præsidio & libertate, quam pacificationis Augustanæ sanctio firmaverat, hanc Academiam dedicavit, in eaque propugnaculum purioris religionis & firmitermentum quaesivit. Quo magis immortale hoc beneficium, quo universa Germania obligata est, ad nos pertinere arbitramur. Et excitavit jam pietatem nostram SERENISSIMI DVCIS, Domini nostri clementissimi, pietas, cum ad crastinam diem dominicam, quæ est XII Octobris, supplicationem publicam indixit, clementerque jussit, ut DEO O. M. pro conservato per duo secula pacificationis Augustanæ fructu laudes gratiæque sollemni ritu dicerentur. Hac pietate publica nos hoc religiosius defungemur, quod simul dies recurrit, quo memoriam instauratæ Academiæ nostræ sacro anniversario celebramus. Quod enim literarum salus cum rei publicæ salute conjuncta est, & Academia nostra pacis publicæ præsidio tuta adhuc & incolumis stetit, jam utriusque beneficii conjuncta recordatio pietatem nostram vehementius incitat, & singulari nos religione obligat. Sint igitur, Cives, hi dies vobis festi & sacrosancti. Si quis vos purioris religionis honor, si qua patriæ & salutis publicæ charitas, si quis literarum & doctrinæ amor tenet, adeste, Cives optimi, & animis ad DEI venerationem compositis, dignas hujus temporis sanctimonia, & dignas hujus beneficii divini magnitudine cogitationes suscipite. Adeste sacris, quæ Principis jussu ob singularem pacis Augustanæ memoriam instituuntur, & summo Numini pro commodis ejus adhuc conservatis gratias agite sollemni formula, atque, ut securitatem rebus & sacris nostris integram & inconcussam porro præstet, religiose supplicate. Eandem Musis nostris felicitatem precamini, natali Academiæ, qui jam imminet, die XV Octobris, & divinæ bonitati pro perenni ejus incolumitate vota nuncupate, Deum immortalem precantes, ut serenissimum Principem, CAROLVM, Academiæ hujus Nutricium, & alterum Instauratorem, cum universa gente principali, omni fortuna beatum ad seros usque annos propitius conservet & tueatur. Qua religione votorum & gratiarum ut

rite

rite perfungamur, sacra publica in æde S. Stephani fient, mox  
 institutoque majorum, & à meridie in Juleo majori sollemnem  
 orationem habebit Vir S. Rev. & Excellentissimus, ANTONIVS  
 JVLIVS VON DER HARDT, S. S. Theol. D. ejusdemque & LL.  
 OO. P. P. O. Collega noster conjunctissimus, atque ea mentes ani-  
 mosque ad cognoscendam pacificationis Augustanæ, quæ reipu-  
 blicæ sacrae & literariæ tam salutaris extitit, dignitatem excita-  
 bit. Dicet enim de fructu ex pace religionis in bonas literas,  
 & figillatim Academias, redundante.

Persuasum habemus, Cives, memoriam divinorum mu-  
 nerum à vobis reverenter haberi, & nullum non honorem reli-  
 gioni & bonis literis tribui. Quapropter ut instituti sacri, ora-  
 tionisque publicæ, sollemnibus frequentes adsitis, & communi-  
 bus nobiscum gratiis laudibusque DEO dicendis defunga-  
 mini, non tam hortamur, quam futurum speramus.

P. P. in Academia Julia Carolina  
 die XI Octobris clō lccc lv.



# MAGNIFICE ACADEMIÆ PRORECTOR,

*Viri summe Reverendi, Illustres, Consultissimi, Experimentissimi,  
Amplissimi, Excellentissimique, Fautores atque  
Amici honoratissimi.*

**Q**uod de natali Academiae Vestrae die, qui, saeculo, quod  
florem atque famam illius auxit, feliciter effluxo, bo-  
nis rediit auspiciis, pro Vestra in nos benevolentia, certiores  
nos feceritis, gratissimum nobis accidisse, publica jam voce  
nostra Vos intelligere volumus. Tum illa, qua devincti inter  
nos sumus, conjunctio, tum illud idem, quo & nos ferimur  
in bonarum omnium rerum, sapientiae imprimis, incrementa,  
studium, ejusdem laetitiae, qua Vos diei istius implevit solle-  
mnitas, sensu nos quoque affecerunt. Sacra scilicet Musarum,  
quocumque etiam loco celebrentur, omnibus scientiarum cul-  
toribus, ubivis terrarum degant, sunt & erunt communia.  
Atque adeo, interesse illis locorum quamvis non permittat  
disjunctio, animis tamen votisque praesentissimos esse tantum  
abest, ut quid vetet, ut potius, singulari *συμπραξιας*, quam  
Graeci vocant, admirabilis argumento, animorum consensio  
jubeat. Ita nunc quidem & nos, una cum civibus nostris,  
ad quorum notitiam sollemnia Vestra pervenerunt, in gaudii  
Vestri venimus societatem, votivasque acclamationes Vestris  
im-

immiscemus plaufibus. Quæ scientiis, quæque earum domiciliis, Academiis, invigilat divina providentia, litterariæ Universitatis Vestræ florem tueatur atque amplificet; ut, altero etiam, in quo viguit, exacto sæculo, majora adhuc invidendæ salutis incrementa Academiæ Vestræ læta gratuletur posteritas! Quæ ut feliciter eveniant omnia, ex animo precamur,

*Celeberrimorum honoratissimorumque Nominum  
Vestrorum*

Dab. in Academ. Jenensi  
d. V. Octobris  
clō 1000 LV.

*Cultores studiosissimi*  
Academiæ Jenensis  
**PRORECTOR ET PROFESSORES  
RELIQVI.**

Y

MA-

# MAGNIFICE ACADEMIÆ RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi atque Excellentissimi, Fautores & Amici  
præcipue & insigniter honorandi.*

**Q**uam litteræ humanitatis & benevolentia vestrae interpretes nobis annuntient, Vos, sæculo nunc vertente, quartum & decimum Octobris diem Urbis vestrae litteratae natalitium, adveniente summo Numine, solemniter celebraturos; facere non possumus, quin ad societatem communis gratulationis alacriter accedamus.

Neque nos tantummodo bonis omnibus venerabilem illam lucem excipimus, sed etiam exoptatissimi hujus nuntii participes nobilissimos Cives nostros faciemus.

Quibuscum, de voluntate vestra, institutum vestrum summis laudibus concelebrandum more modoque consueto ex tabula publica in tempore communicabimus.

Vota illi nobiscum nuncupabunt, ut ACADEMIA DVISBURGENSIS FRIDERICO GVILIELMIANA, quæ est sapientia templum, & scientiarum officina, omni prosperitatum genere, & rerum maxime expetendarum affluentia cumulata, viriditate numquam amissa, ad extollendum optimarum litterarum & artium decus, felicissime floreat & diutissime.

*Celebratissimorum & honoratissimorum Nominum Vestrorum*

Kilonii die VI. Octobris  
cl. lxxxv.

*Cultores Studiofissimi*

PRO-RECTOR, PRO-CANCELLARIUS,  
ET PROFESSORES  
Academiae Kiloniensis.

JVSTVS FRIDERICVS ZACHARIÆ,  
Theol. & Ling. Or. Prof. Acad. h. r. Pro-Rector.

MAGNI-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores & Amici  
honoratissimi.*

**L**itteras, quibus ferias seculares Academiae vestrae humanissime nobis significastis, magna cum voluptate legimus. Quo majori enim studio & amore litterarum ardemus, eo vehementius lætamur de florente statu Academiarum, in quibus præstantissimi magistri summa cum laude optimarum rerum disciplinas profitentur. Neque parva est aut mediocris utilitas, quæ ex scholis illis in genus humanum redundat. Prodeunt ex iis viri, qui instructi ornatique doctrina præficiuntur muneribus, in quorum administratione salus & tranquillitas civitatum maximam partem posita est. Quod felicitas populorum confirmat, in quibus frequentia virorum est, qui doctrina & artium studiis excellent. Singularem igitur læticiam nobis attulit epistola vestra, RECTOR MAGNIFICE, VIRIQUE EXCELLENTISSIMI, cum divina providentia factum esse cognosceremus, ut Academia vestra diei natalitii memoriam secularem obiret. Eximio certe beneficio fruitur civitas, in qua omnis doctrinae officina instituitur. Quanto fortunatiorem igitur eam esse censeamus, in qua eruditionis vis ita invaluit, ut, quæ in illa sedem habet, Academia jussu & auctoritate summi Imperantis

tis natalem suum secularem celebret. De hac felicitate itaque vobis, RECTOR MAGNIFICE, VIRI EXCELLENTISSIMI, gratulamur affecti gaudio, quo compleri arbitramur omnes, qui litterarum gloria commoti in hoc elaborant, ut earum dignitas in dies augeatur. Tabulas vestras, quibus, RECTOR MAGNIFICE, VIRI EXCELLENTISSIMI, FAVTORES maximopere colendi, solemnitatem vestram secularem Orbi erudito annunciaftis, in publico nostrisque rebus sacro loco affiximus, quo Civibus nostris pateat, quanti æstimemus exterarum Academiarum splendorem & firmitatem. DEVM, omnis cognitionis & sapientiæ Auctorem, oramus & obsecramus, ut, quemadmodum Vobis diem effecit lætitiæ plenum, ita Numine suo Academiam vestram perpetuo tueatur florentemque conserve. Valete. Dabamus die XV. Octobris. clo lccc lv.

*Nominum Vestrorum Celeberrimorum*

*Cultores studiosissimi*  
**RECTOR, MAGISTRI**  
**ET DOCTORES**  
 Academiae Lipsiensis.

MAGNI-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Excellentissimique, Fautores & Amici honoratissimi.*

**Q**uemadmodum Academiæ omnes, quatenus ad excolendas propagandasque optimas artes & scientias constitutæ sunt, communi quodam vinculo continentur, eæque præsertim, quæ cum optimarum literarum expolitione, eundem sacrorum cultum exercent, arctiori cognatione conjunguntur: Ita unius felicitas ad omnes pertinet, & quæ unam afficit lætitia, reliquas quoque in societatem gaudii excitare debet. Pro eo communi rei literariæ vinculo, non potuerunt non pergratæ nobis esse literæ vestræ, VIRI CELEBERRIMI, quibus non modo festum seculare primum vestratæ Academiæ pridie Iduum mensis Octobris labentis anni celebrandum nobis significastis, sed etiam ut easdem Academiæ nostræ valvis affigendas curaremus, humanissime à nobis petiistis. Desiderio vestro factum est, ut primum fieri potuit, satis, literasque ad nos missas consueto loco affixas Civium nostrorum oculis exposuimus, quo his quoque solennitas ista constaret, vestramque felicitatem piis nobiscum votis ominibusque prosequantur. Gaudemus merito Vobiscum, VIRI CELEBERRIMI, quod ex tot bellorum fluctibus emersa in hunc usque diem sarta tecta perstiterit Academiæ vestra, caputque nunc altius efferat sub tutela FRIDERICI, potentissimi Regis & Musagetæ sui, qui sacra

Y 3

hæc

hæc sæcularia Vobis clementissime indulget, munificentissimeque adornat. Festum hoc sæculare Vobis vestræque Academiae auspiciatissimum precamur. DEVS ter Optimus Maximus in posterum quoque sibi perpetuo curæ habeat, Regiam illam bonarum artium scientiarumque sedem, & ad sui nominis gloriam, patriæ, rei literariæ decus & ornamentum per multa secula fervet florentissimam. Servet Vos omnes Excellentissimos omnium ordinum Professores & Doctores celeberrimos, qui voce & scriptis Regiam Teutoburgensem Universitatem hodie illustratis in complures annos & longæva vitæ humanæ spatia.

Ceterum sicut benevola nos omnia atque amica ab Academia vestra nobis promittimus; ita studebimus vicissim semper, ac dabimus operam, ne quid illius desideretis in nostro studio, quod ad existimationem, honorem ac utilitatem vestram facere possit.

*Celeberrimorum Vestrorum Nominum*

Marburgi VII. Idus Sept.  
clō Io cclv.

*Cultores studiosissimi*

PRORECTOR, PROCANCELLARIVS  
REGIMINIS CONSILIARIVS  
INTIMVS, DECANI  
ET PROFESSORES  
Academiae Marburgensis.

RE-

REGIÆ ACADEMIÆ DVISBVRGENSIS  
 RECTOR MAGNIFICE,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
 Anplissimi, Excellentissimi, Fautores & Amici  
 honoratissimi.*

**I**ntelleximus ex litteris vestris humanitate & benevolentia  
 plenis, instare auspiciatissimam illam diem, qua secularem  
 fundatæ ab incomparabili Herœe FRIDERICO GVILIELMO Magno,  
 Electore Brandenburgico, Academiae vestræ memoriam, festi-  
 vis plaufibus celebrare & supremo Numini, pro conservata  
 inclyta hac Musarum sede, sollemnes gratiarum actiones,  
 proxima decima quarta Octobris die, persolvere decrevistis.  
 Merito in communionem gaudii vestri venimus, & Vobis pio  
 calamo ac prolixo mentis affectu, cum coram conceptam pecto-  
 re lætitiã verbis vividius declarare non liceat, gratulamur,  
 quod erecta paternis Divi FRIDERICI WILHELMI Magni curis  
 & magnificis sumptibus litteraria Universitas, per integri fere  
 sæculi decursum, inter varias rerum vicissitudines floreat, &  
 gubernante sapienter res nostras Augusto serenissimi Condi-  
 toris Pro-Nepote, nullam felicitatis & famæ suæ jacturam fa-  
 ciat. Ecquid enim nobis magis gratum & acceptum esse po-  
 test, quam ubi audimus, liberalium artium studia, feros ho-  
 minum mores emollientia, in pretio aliquo esse, & mansue-  
 tiorum Musarum officinas apud eos etiam vigere, qui sub  
 ejusdem Imperantis tutela nobiscum vivunt, arboresque fu-  
 turo sæculo & subiectis Sceptro Brandenburgico populis pro-  
 futuras, multa solertia ferunt. Movit nos gaudii hujus sensus,  
 Cives

Cives etiam nōstros ad explicandam lætitiā suā & fundendas pro incolūitate Vestra ac inprimis immortalī Academiæ Duisburgensis decore, preces excitare. Itaque de tabula publica iusta desideria Vestra, adjecta admonitione significabimus, ut quilibet horum festam Vobis & ob sæcularia gaudia litterato orbi memorabilem diem, piis supplicationibus transigat, & pro communi illo, quo se litterariæ societates complectuntur, amore, voveat, ne sollennibus gaudiis Vestris tristia fata se immisceant, aut adversæ fortunæ insultus erudita sæcularium ludorum vestrorum spectacula interrumpant. Faxit DEVS, qui fata terris dispensat, & Viris eruditionis gloria insignibus bonarum artium domicilia ornat, ut celeberrima etiam Academiæ vestræ sidera diu fulgeant, & beato influxu suo largoque doctrinarum rore inspersa juvenum animis sapientiæ semina altius producant. Largiatur idem, ut carissima triumphantis jam in beatorum sedibus Herois FRIDERICI WILHELMI M. Filia ubere semper felicitium ingeniorum proventu, & jucundis almæ pacis fructibus abundet, & secundum, quod à natiuitate sua inchoabit, sæculum, ut vere secundum ac fortunatum, sub salutifero Aquilæ Boruffo-Brandenburgicæ tegmine ad finem perducatur, & non nisi cum ipsius mundi ruina interitum videat. Dabamus Regiomonti Boruff. die IV Septemb. A.N.C. MDCCLV.

*Celeberrimorum Nominum Vestrorum*

*Cultores studiosissimi*

**RECTOR, CANCELLARIUS,  
DIRECTOR ET SENATUS**

Regiæ Academiæ Regio-  
montanæ.

**COELESTINVS KOWALEWSKI,**  
Academiæ h. t. Rector, ejusdemque Can-  
cellarius & Director, Prof. Juris Prim.  
Senatus Ecclesiast. in Borussia  
Vice-Praefes & Officialis.

ACA-

## ACADEMIÆ RECTOR MAGNIFICE,

*Viri summe Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, omnium Ordinum Professores Excellentissimi,  
Fautores & Amici honoratissimi.*

Quas benevolentia & humanitatis plenas ad nos dare voluistis, literæ satis luculenter ostendunt, quam gratioque animo florentissimæ Academiae vestræ celebrandum instans seculare festum excipiat; & quanto nos, ut lætitiæ simus participes, honore dignari vobis placuerit. Haud sane quicquam nobis lætius afferi, vel ad communia literarum emolumenta jucundius nunciari potuit, quam, superato centum prope annorum curriculo, superata Musis imminentium quarumcunque calamitatum acerbitate, eundem persistere ac perennare, supplicationibus etiam jubilibusque publicis prædicandum, Academiae Duisburgensis optimum florem. Hæc Musagetæ potentissimi liberalitas & indulgentia itaque vobis tam lætum, Musisque exoptatum omnibus orium fecit, ut summa, Regis cum immortalis gloria, Duisburgensium felicitas ad longam posteritatem propagari videatur. Prosperum hoc vobis arridet omen, quæ ad humanitatem pertinent, divinæ omnes, victam pridem exulare jubeant barbariem, jam vero insidiarum securæ domi tam Optimi Principis jussu, quam dignitate sua & splendore incomparabili, solennissime triumphent. Quod DEI, literarum æterni Statoris, beneficium,

Z

annis.

annis prope centum serie continua cumulatum, ut par est, instituitis grata recordatione prosequi, ac aere perennioribus monumentis celebratum, tradere posteris, comiter ac severe monitis, ut rerum tantarum memoriam animis infixam religiose ac perpetuo servare studerent. Illud vero est sapere, si, qui bonis artibus ac scientiis sunt dediti, curiose ac diligenter ipsi divinitus concessi temporis, illius perbrevis quidem, ac dierum quarumque rationem habere instituunt, & hoc imprimis agunt, ne quid irreparabilis thesauri pereat otio inertis, sed fugientis seculi transiens horula quæque studio laudabili & operum perpetuitate refarciatur. Singuli omnium ordinum, omnium ætatum, sexus utriusque homines, siquidem suos probe didicerunt numerare dies, vitæ quolibet genere, vel perbrevis scena, divinam Numinis æterni & sapientissimi, & munificentissimi, nunquam poterunt satis admirari providentiam. Tanto major animos incessit lætitia, quando post tot tamque funestas temporum superiorum calamitates, nihildum toto seculo de antiqua veraque Musarum Duisburgensium laude fuit detractum: eaque Academia, quam beatæ memoriæ Brandenburgicus Elector FRIDERICVS GVILIELMVS liberalissime condidit, Numinis singulari gratia, semper adhuc floruit, firmaque & stabilis liberalium studiorum sedes in hunc usque diem, ad longe maximam bonorum voluptatem, permanfit. Quare non possumus non, pro favore erga Vos & studio singulari, erga literas amore, quibus Academia vestra diu multumque inprimis enituit, eam felicitatem Vobis ex animo gratulari; DEVM precati, salvo Rege & optimo Principe, salvos esse jubeat Academiæ vestræ Proceres atque Patres celeberrimos, salvam esse jubeat studiosam Juventutem, vestraque, ut perennarent gaudia, cœpta secundet: ut votorum à  
Vobis

Vobis fuscipiendorum rei, magis magisque semper Academiam florere, & inclutum sapientiæ domicilium ab omnibus injuriis fortissime defensum, perpetua rerum & ingeniorum copia feliciter affluere videatis. Quod à nobis petiistis, ut literæ publicæ nostris affigerentur valvis, propediem fiet, ac omnibus constabit, datam esse quibuscunque facultatem & veniendi & quæ apparantur libere videndi, & præmia, vel honores pro meritis capessendi, qui artibus studiisque liberalibus debentur. Commune id credimus esse gaudium, quod non modo ad literarum decus, quo inter nos arcte jungimur, verum etiam imprimis ad illius Academiæ, cui tantillum hoc officii damus, seculare festum quam solennissime celebrantis, honorem & incrementa spectare videtur.

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

Rintelii  
a. d. VIII. Kalend. Septembr.  
MDCCLV.

*Studiofissimi Cultores*  
Academiæ Rintelienfis  
**RECTOR, DECANI,**  
**ET PROFESSORES.**

P. P. WOLFFHARDT,  
h. t. Pro-Rector.

# MAGNIFICE DOMINE PRORECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**S**ub Herculis Musagetæ, invictissimi Regis & Electoris potentissimi, augustissimis auspiciis, sacra secularia ad diem XVII. Calend. Novembr. Academiam Vestram parare, inque solennis hujus lætitiæ societatem à Vobis, Viri celeberrimi, nostrosque animo commendatissimi, & nos vocari, litteræ Vestræ, proluxæ in nos voluntatis Vestræ testes, nobis redditæ docuerunt. Quam gratæ nobis illæ jucundæque fuerint, non est, cur longiori coram Vobis explicemus sermone, cum vel ipse sensus Vester, Vos, Viri litterarum gloria eminentes, admoneat, ex Musarum felicitate perennique salute, quam & Academia Vestra per integrum nunc seculum experta est feliciter, non levem nos concipere voluptatem.

Atque nunc id agimus, ut quem solenni Vestræ panegyri dixistis diem, animo Vobis gratulemur observantissimo. Faveat huic proposito Vestro benignissimum Numen, atque celeberrimam Academiam Vestram, non alterum solum, quod felici nunc omine ingreditur, seculum, verum & futura omnia quam faustissime exigere, clementissime faxit! Ita inclita Vestra doctrinarum omnium virtutumque regia officina, perenni prosperitate florens, cum ipsarum litterarum splendore

dore egregie famam suam provehet, & Vestris, Viri humanissimi, celebratissimis nominibus memoriam conciliabit nunquam intermorituram.

Quibus sinceris votis nostris, prouti nunc præsentia ea scriptioe Vobis significamus, sic in ipso faustissimo natali Academiae vestrae die, salutem ejus Vestramque DEO pie commendabimus; & ad idem vobis præstandum humanitatis officium cives nostros, litteras humanissime ad nos missas ex valvis nostris publice proposituri, excitabimus.

Vos vero, Viri celeberrimi, cum optatissima Vestra nobis sit benevolentia, ut integram eam nobis servetis, etiam atque etiam rogamus; qui Vestro in nos affectui omnibus observantiae partibus respondere nunquam non laborabimus. Valete felicissime! Dab. Rostochii, d. XV. Calend. Octobris A. R. S. MDCCLV.

*Inclitorum & celeberrimorum Nominum Vestrorum*

*Cultores studiosissimi*

**PRO-RECTOR ET PROFESSORES**

Academiae Rostochiensis.

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores &  
Amici honoratissimi.*

**I**ndivulsi istius nexûs, quo, sicuti quævis, quotquot excoluntur ac indies feliciter crescunt, scientiæ, ita & earundem officinæ, imprimis autem ipsæ nostræ Academiæ secum invicem arctissimè conjunguntur, ratio Vos, Patres conscripti! dubitare non finet, quin summâ cum voluptate literas vestras gratissimas æquè, ac lætissimas, quibus proximè instantem Academiæ vestræ festivitatem secularem nobis benevole significare haud dedignati estis, legerimus atque relegerimus. Serenis itaque accipite frontibus præsentem nostræ consimilis lætitiæ tesseram, programma scilicet, quod unâ cum iisdem literis ad valvas publicas ipso die XIV.to Octobris ceu Academiæ vestræ natali atque festivo eo fine affigi curabimus, ut tota nostra Academia, ac præsertim quoque studiosa nostra Juventus in votorum pro florentissimæ Academiæ vestræ sempiterna salute ac incolumitate solenniter nuncupandorum confortium vocetur, atque ad publica hujus rei testimonia & specimina quovis modo excitetur, id quod omne ut respondendo

do vobis rursus significaremus, nostrarum omnino partium esse duximus. Cæteroquin nos ipsimet supremum in cælis Numen ceu omnis Sapientiæ fontem ardentissimis veneramur precibus, ut sub auspiciatissimo gloriosissimoque potentissimi ac longè clementissimi Nutritoris vestri præsidio Jubila vestra sacra esse jubeat, & inclutam vestram Musarum sedem in omne ævum ex omni parte fortunatam florentemque præstet, nec non Vobis ipsis, Viri meritorum gloriâ maximè conspicui celeberrimique, quamcunque, quæ votis expeti potest, felicitatem clementissimè impertiatur. Valete! Dab. Tubingæ VII. mo Iduum Octobris die, Anno Salutis MDCCLV.

*Maximorum ac celebrium Nominum Vestrorum*

*Cultores studiosissimi*

RECTOR, CANCELLARIUS,  
AC RELIQUI DOCTORES  
REGENTES ET PRO-  
FESSORES

Academiæ Tubingenfis.

RE-

RECTOR ET SENATUS  
ACADEMICVS VNIVERSITA-  
TIS TVBINGENSIS CIVIBVS  
SALVTEM.

Quas ex publica hac tabula vobiscum communicamus, ab Amplissimo celeberrimæ Universitatis DVISBURGENSIS Senatu Academico ad nos datæ sunt literæ, quæ hodierno die solemnia peragit haud minus illustria illa festivitate, quæ à Romanis celebrata est sæpe, quum ad ludos populum convocaret præco, quos nunquam quisquam spectasset, nec spectaturus esset. Centesimus quippe hoc ipso die absolvitur annus ab incunabulis nobilissimæ hujus Musarum sedis, quæ natales suos à gloriosissimæ memoriæ Principis, FRIDERICI GVILIELMI, & bello & pace Magni, pietate & munificentia repetit, jam verò à tanti Auctoris Pro-Nepote tanto foveri se ac augeri mirificè lætatur. Quemadmodum autem fieri solet, ut insigniori aliquo perfusi gaudio alios quoque amicitia nobis fœdere junctos illo impertiamur: Ita & hæc studiorum Universitas pro ea, quæ inter omnia bonarum artium Emporia jure meritoque intercedit, necessitudine, quæque sororio quasi vinculo inter se ea conjungit, nos quoque in suæ lætitiæ consortium trahere haud dubitavit. Neque verò quicquam potuisset nobis vel magis esse gratum, vel magis etiam honorificum, & lubentes profectò pro hujus Universitatis de literario orbe tam præclare merentis incolumitate pia concepimus vota. Cujus rei non tantum hoc extare voluimus documentum publicum, sed & vos hortamur, Cives, ut DVISBURGENSI Academiæ hodie sc. XIV. to Octobris die seculo festas referente luces nobiscum bene precemini.

*Per scriptum publicè sub Sigillo Rectorali: D. XIV. to Octobr.  
c15 lccc lv.*

(L.S.)

MA-

## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Maxime Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Celeberrimi  
Scientiarum Professores.*

**P**eracto hesternæ die, fausto ut speramus augurio, festo Academiae Vestrae seculari, nostra ad vos accedendum esse gratulatione judicavimus, neutiquam quidem, quod ajunt, post festum, sed quo indicaremus certius, nos Vestra desideria, quæ in litteris significastis, implevisse. Valvis nostris affiximus typis exscriptam honorificam atque amicam invitationem, ut Vobiscum lætaremur, ob beneficia summi Numinis in Vestram collata, elapso seculo, per orbem celeberrimam Academiam, bonarumque artium palæstram, utque simul lætarentur Cives nostri. Incidebat, antecedente Vestra sollempnia Dominica, Jubilæum ob pacem, ut audit, religiosam, ante hos ducentos annos in comitiis Augustanis firmatam, devotis mentibus, gratiarum actionibus, supplicationibus & intercessionibus in omnibus urbis templis circumjacentisque regionis celebratum. Pars votorum DEO nuncupatorum, pro Ecclesiae, Academiarum & Scholarum conservatione, ad Vos, Viri celeberrimi, deque causa DEI, Artiumque meritissimi, ob communia sacra, insignite spectat. Faxit benignum Numen, ut Academia Vestra, inter bellorum tumultus nata atque aucta, seculare celebrans festum, inter Ecclesiae Germanicae jubila, sub auspiciis Regis potentissimi, Victoris, Felicis, crescat floreatque ad seculorum finem; Vosque demum, annis meritisque gravissimos & relictos ex bonarum artium, Vestra opera, incrementis, ad caelestia transferat jubila. Valete ex Vobis addictissimis deditissimisque

*Illustris Gymnasii Bremensis Professoribus, quorum nomine subscripsi*

Dab. Bremæ d. 15. Octobr.

A. M DCC LV.

NICOLAUS NONNEN, S.Th. D. Ejus atque Philosophiae  
Pract. Prof. P. & Ill. Gymn. Rector.

A a

MAGNI-

## MAGNIFICE RECTOR,

*Viri maxime Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Amplissimi, Excellentissimi, Fautores atque Amici honoratissimi.*

Cum secularia Academiæ sacra, ex laudatissimo Majorum more, in universa, qua patet, Republica litteraria justam habeant venerationem, non opus est dicto persuasorio, litteras, quæ lætum primi Guilielminæ Natalis sub felicibus FRIDERICI Herculis Musagetæ auspiciis prid. Id. Octobres rite celebrandi nuntium nobis adtulerunt, humanitatis & benevolentia Vestra erga nos testes, solido nos adfecisse gaudio. En! in societatem communis lætitiæ vocati, jam ferventibus omnium studiis, nos quoque officii nostri, quod & vicinia & Augustorum Principum munificentia inde à seculo fere arctiore vinculo constrictum est, probe memores vota votis, gratulationes gratulationibus cumulamus, ac inclytæ Teutoburgensi Academiæ ex solennibus hisce Sacris faustissima quævis vere auguramur. In tanti boni communionem cum venire gestiant nostrates Viri Clarissimi, D. D. Rocholl & Withof, Collegæ conjunctissimi, nos libenti prolixoque animo eos delegavimus ac delegamus, ut publico Athenæi nostri nomine ludis istis secularibus intersint, & gratulabundi nostrum in Vos studium cum magna honoris significatione testificentur: Quos ut Vobis, Patres Academiæ conscripti, hoc titulo pro comitate Vestra commendatos habere velitis, vehementer etiam atque etiam rogamus, & hac fiducia freti, Vobis omnibus, Viri celeberrimi, illustrique Sedi Vestrae rerum secundarum perennitatem exoptamus; Valete ac favete

*Celeberrimi Ordinis Vestri*

Dab. Hammonæ Prid. Kal. Octob.  
A. c̄s̄o lxxxv.

*Studiofissimis*

PROFESSORIBVS ATHENÆI  
HAMMONENSIS.

CAROLVS LVDOVICVS WESENFELD,  
Gymnasii h. t. Præses.

MAGNI-

---

# MAGNIFICE ACADEMIÆ RECTOR,

*Viri summe Reverendi, Jureconsultissimi, Excellentissimi, experientissimi, acutissimi, amplissimi, Fautores & Amici longe honoratissimi.*

**N**on sine insigni voluptate ex vestris, Viri celeberrimi, ad nos datis literis percepimus, seculum jam effluxisse, ex quo vestra Musarum sedes, & scientiarum, cum sacrarum, rum civilium, officina, adspirante divina clementia, atque auspiciis invicti & incomparabilis Electoris FRIDERICI GVILIELMI dedicata fuit: quæ hucusque, ex summi Numinis benignitate, per bellorum turbas circumstrepentes nunquam imminuta, feliciter semper perstiterit. Uti merito, & ex animo de perenni hac incolumitate gratulamur, qua D. T. O. M. Academiam Vestram inter graves illas armorum calamitates, Musis plerumque inimicas, salvam esse jussit; ita omnino quoque lætari inde debuimus pro arcto, qui est inter Musarum sedes, ejusdem præcipue Religionis, nexu, quo scientiarum quarumvis, & bonarum literarum conservationem, ac propagationem, ceu communem finem, conjunctim habent propositam. Quare, cum vobis, Viris celeberrimis, sit constitutum, quarto decimo imminentis Octobris die natales felices Regiæ

A a 2

&amp;

& illustris Vestræ Academiæ sollempni ritu celebrare, lubentes omnino in partem lætitiæ veniemus, atque, ut idem à studio-  
sa nostra fiat juventute, literas Vestras ad nos missas valvis  
Academiæ nostræ publice affigendas curabimus. Pia omnino  
vobiscum, Viris per orbem terrarum celebratissimis, vota con-  
jungemus, ut D. T. O. M. tum Vobis fausta & felicia quævis  
in ecclesiæ, & rei literariæ maximum commodum largiter  
impertiri, tum Academiam Vestram, florentissimum virtutis  
& bonarum scientiarum seminarium, per omnia secula factam  
rectam conservare velit;

*Summorum & Celeberrimorum Nominum Vestrorum.*

Herbornæ Nassoviorum,  
d. XVIII. Septembris  
c1o 1000 LV.

*Studiosissimi Cultores*

PRO-RECTOR ET SENATUS

Academiæ Herbornensis.

LVDOVICVS CONRADVS CHRÖDER,

Jurium Doct. & Prof. Ordinar. h. r.

Academ. Pro-Rector.

MA-

# MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri Plurimum Reverendi, Juris Consultissimi, Experientissimi,  
Amplissimi, Excellentissimi, Fautores & Amici  
maxime honorandi.*

**C**rebra & ingentia sunt DEI beneficia, quibus generi humano mirabiliter perditō subvenire dignatus est. Maximum, quodque nunquam meritis laudum encomiis referri potest, est, quod ex spississimis errorum tenebris populum revocaverit suum, & cum caligo tegetet orbem, pristinae luci restituerit.

Huic accedit, quod DEUS, quo nihil in hisce rebus ad promovendam cognitionem & amorem summi Numinis possit accidere vel utilius vel jucundius, sacrarum & civilium scientiarum officinas, tanquam veræ cognitionis genitrices, conservatrices & amplificatrices instituerit, suaque provida cura, tanquam in cujus manu Regum Principumque corda sunt, ita illorum molimina direxerit, ut DEI scopo ad veram cognitionem magis magisque amplificandam quovis modo inservirent. Si unquam exstiterē, qui hac in parte felicissima quoque scriptorum ingenia longe à tergo reliquere, tanquam aptissima in manu Domini instrumenta; certe heic eminet FRIDERICVS GVILIELMVS Elector Brandenburgicus, cujus pietas longe lateque fulsit, uti & purioris Religionis amor, atque in ejusdem propagandæ studio ἀμετακινήτος constantia. Exemplā prostant quam plurima; sed vel unicum specimē sufficit, quod ipse anno 1655. Teutoburgicam constituerit, confirmaverit variisque

riisque privilegiis ornaverit Academiam. Hujus lætam recolle-  
re memoriam, totoque pectore divinas laudes canere nemo  
nisi beneficiorum divinorum immemor repudiare potens est:  
præcipue cum attentam mentem observaverit, quæ DEUS inter  
multiplices calamitates conservaverit non modo, sed & cum  
per varia fata aliquamdiu oppressa veluti latuerit, ut illi quos  
commune publicum tangeret veluti indicto literarum funere  
luctum induisse viderentur, semper novos novaque laude flo-  
rentes virtutis & eruditionis patronos excitaverit, qui quanto  
decessores superant, tantum exemplum onusque relinquunt fe-  
cuturis. Hos inter vos merito numerandos puto, quibus jam  
sacra & civilia tractare illorumque cognitionem inculcare di-  
vinitus concessum est, quibusque jamjam contingit natalem Aca-  
demie celebrare diem.

Debitas agimus gratias, quod nos hujus vestræ lætitiæ  
ignaros esse passim non estis. Incredibile dictu, quo gaudio exul-  
taverimus. Curavimus statim ut literæ excitatoriæ templi val-  
vis affigendæ pararentur, utque nos statuto tempore vobiscum  
in Domino læti simus, laudibus æternis magnum DEI nomen  
celebremus, ac immortales DEO solvamus gratias pro benefi-  
cio, quo nil in rebus humanis potuit accidere jucundius.

DEUM veneramur supplices, ut Spiritu suo vobis adfit,  
bene cæpta secundet, ac omnes actus grati animi sibi gratos ha-  
beat & fortunatos esse sinat ad sui nominis gloriam sempiter-  
nam, vestræque reipublicæ literariæ splendorem, decus ac ad-  
mirationem. Vobis det longissimam ætatem & felicitatem,  
quanta maxima potest contingere. Hoc voto finem facio, ne  
publica vestra negotia ullo modo inturbem.

*Nominum Vestrorum*

Lingæ d. 8. M. Oct. 1755.

*Studiofissimus Cultor*  
SAMUEL MEILING,  
h. t. Rector.

MAGNI-

## MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

*Viri omnigenæ Eruditionis copia Refertissimi, Celeberrimi,  
Excellentissimi, Fautores & Amici æstumatissimi!*

**L**audatissimi instituti, quo amplissimus Senatus Academicus Duisburgensis, memoriam inaugurationis Athenæi sui florentissimi, centenis ab hinc annis auspiciis Herois Incomparabilis FRIDERICI GVILIELMI, Electoris Brandenburgici, quarto decimo instantis Octobris die & sequentibus, solennissimis Actibus quam plurimis lætus gratusque recolere in animum induxit, nuncias literas summa cum voluptate perspeximus omnes, quotquot reipublicæ literariæ nostræ præfecti sumus, idemque suavissimis commilitonibus publico significavimus adfixo. Nostrum itaque fuit, tam pro adfectus quam officii ratione, grata non solum mente celebrare honorem, quo nosmet de optimo hoc proposito certiores reddere non designati estis, Viri toto, qua patet, Orbe Excellentissimi, Celeberrimi; verum & gratulari ex animo de tanta felicitate Academicæ Vestræ, per tot rerum vicissitudines, hostiumque molimina provida summi Nominis cura semper in fastigium emerisæ, & in hunc usque diem protectione gloriosissimi Regis, toga sagoque clarissimi, splendidissimæ, pia nuncupantes vota, pro omnigena salute vestra. Adnuat DEUS ter  
opti-

Optimus Maximus conatibus præclarissimis, ut fausta illa die, niveo in perpetuum lapillo notanda, nova pietatis doctrinæque insignis monumenta præcis accumulare, cumque erudito orbe communicare, famamque vestram haud proletariam ad feros nepotes, quin ad astra evehere valeatis. Floreat Academia Vestra spectatissima, illa bonæ mentis Officina in æternum, nova indies divinitus gratia condecorata, magnique Regis patrocínio firmata, concilietque sibi meritis Virorum, in omni genere & varietate artium excellentissimorum, maximum indelebilemque splendorem. Quod superest dolemus, nobis ob labores jamjam inchoandos ita felicibus esse minimum licere, ut coram ipsi nos sistere queamus, lætitiæ extraordinariæ non minus ac ingentis doctrinæ industriæque vestræ testes felicissimos, fidelissimos.

*Inclutis immortalibusque Nominibus vestris*

Burgo-Steinfurti,  
die XX. Mens. Sept.  
Anno 1755.

*Additissimi*

**PROFESSORES LYCEI**

Steinfurtenfis Arnoldini.

ARNOLDVS IKEN,  
Jurium Doctor h. t. Rector.

**Magni**

**Magnifice,**  
**Hochehrwürdige, Hochedelgeborne, Hoch-**  
**erfahrene, Hochgelahrte Herrn**  
**Der Königl. Duisburgischen Academie**  
 geschätzte Lehrer und Väter,  
 Theureste Gönner und Freunde,

**D**ie unter Preussens Adler sich versammelnde Königl. deutsche Gesellschaft konte an dem verfloffenen Gedächtnistage ihrer Stiftung keinen würdigeren Gegenstand ihrer Betrachtung erwählen, als, Dero preiswürdigen Academie bey dem grossen Jubelfest ihrer Stiftung unsre aufmerksame und mit redlichen Wünschen beschäftigte Freude zu widmen. Der Redner belebte die Asche des gloriwürdigen Stifters Friederich Wilhelms des Grossen, und der Dichter bewunderte die Vorsehung bey der Stiftung und Beschützung Dero Musensitzes.

Erlauben Sie es Magnifice und Hochgelahrte Herrn, daß Dero würdiges Mitglied der Herr D. und Professor von Eichmann unser Werk führe und das öffentliche Denkmal unserer Freude Dero gutigem Urtheil überliefere.

B b

Sie

Sie werden aber darinnen nur einen Schattenriß von den aufrichtigen Wünschen lesen, mit welchen unsre ganze Seele erfüllet ist. Gott wache über Duisburgs Mauren und Mäusen. Gott erhalte Eure Magnificenz und alle Lehrer im Seegen und in allem selbst erwünschten Wohlsenn. Unter diesen redlichen Wünschen unterzeichnen wir uns lebenslang

Der preiswürdigen Duisburgischen  
Academie

Königsberg, 1755.  
den 25. November.

Zu aller Treue und Hochachtung  
verpflichtete

Königliche Deutsche Gesellschaft zu Königsberg in Preussen


Und in ihrem Namen  
Cblestin Christian Glottwell,  
Prof. Ord. der K. d. S. Director.

Die

Die Spuren  
der  
göttlichen Vorsehung  
in  
der Gründung  
und  
Beschützung  
des  
**Duisburgischen  
Museum's,**

wurden  
bey Gelegenheit seiner hundertjährigen Jubelfeyer  
in der  
Königlichen deutschen Gesellschaft an ihrem erneuerten  
Stiftungstage den 21. Nov 1755.  
besungen

von  
**Andreas Watson,**  
der K. d. G. Mitgliede.



**Königsberg,**  
gedruckt bey Johann Friederich Driest, Kön. priv. Buchdrucker.  
Nachgedruckt zu Duisburg.



Stadt, von Zions Gott beschützt,  
Von Gott, der in der Höhe thronet,  
Von Gott, der in den Wolken blizt,  
Der Laster straft, die Tugend lohnet:

Erhebe deines Herrschers Schutz,  
Und beut den frechen Seelen Trutz,  
Die deinen frühen Wuchs beneiden.  
Dein Jubellicht, dein feltner Ruhm,  
Durchstrahlt das stille Heiligthum  
Und wirkt in unsrer Brust noch nie verspürte Freuden.

Dank sey der Vorsicht, deren Macht  
Oft wider deinen Feind gerungen,  
Und dich zu der erhöhten Pracht  
Aus deinem ersten Staub geschwungen:  
Da, wo Eugerner vormals sich  
Und ihre Brut recht fürchterlich  
Des Herculs Brandaltären weyhen  
Die bringt jetzt deiner Kinder Schaar  
Ein Christen würdig Opfer dar,  
Wenn sie dem Gott des Heils den reinen Wehbrauch streuen.

Berz

**V**ergebens wagt's das wilde Heer  
 Aus Mitternacht, dich zu bezwingen;  
 Die Allmacht wurde deine Wehr,  
 Wem will es wider G<sup>o</sup>tt gelingen?  
 Sein Pfeil, der gleich den Blitzen flog,  
 Und tausend Pfeile nach sich zog  
 Die tödtlich scharf gespizet waren;  
 Zerstreuet den verwegnen Feind,  
 Der deinem Glück gefährlich scheint.  
 Und so zerstäubeten der Norden freche Schaaren.

**D**ie stille Ruhe folgt dem Sieg,  
 Und deine Wohlfart mußte blühen:  
 Der Streiter scheut den blutgen Krieg  
 Und muß vor deinen Waffen fliehen.  
 Und du, der Unschuld Rächerin,  
 Siehst zur verdienten Strafe hin,  
 Die Benno strenge Tugend hassen.  
 So muß ein tapfrer Fürst im Staat  
 Der Bösen tolle Lasterthat  
 Aus blödem Kleinmuth nie zu furchtbar werden lassen.

**D**ein Glück bezaubert Herz und Brust,  
 Dein fettes Mark reizt tapfre Geister:  
 Bald bist du deines Heinrichs Lust,  
 Bald spielt in dir Graf Otto Meister.  
 Von Limburgs Fürsten Walrian  
 Ererbt dich dessen Tochtermann,  
 Der dich an Brabant übergeben;  
 Von Rudolph, dessen edlen Geist  
 Die späte Nachwelt dankbar preist,  
 Nimmt dich Theodoric, den Wiß und Kunst erheben.

**G**ott winkt den Völkern: Wenn er ruft,  
 Entsteht ein neues Volk auf Erden;  
 Ein Stammhaus legt er in die Gruft,  
 Ein anders muß geboren werden.  
 Du Cleve, zeugst den würdigen Mann,  
 Der Duisburgs Wohl erhöhen kann,  
 Dich soll er zum Besitz erlangen:  
 Ein Walkram baut Johannes Glück;  
 Doch Clevens günstiges Geschick  
 Läßt dieses Grafens Stamm mit feltner Schönheit prangen.

Verstrichner Zeiten schneller Flug,  
 Du solt noch Duisburgs Glück verbreiten;  
 Dein unaufhaltbar starker Zug  
 Verschwindt in jenen Ewigkeiten.  
 Das Schicksal bricht den Urtheilsstab,  
 Man senkt die Väter in das Grab,  
 Wenn Kinder kaum die Welt erblicken:  
 Und dennoch lehrt ein später Ruf  
 Was Gott in jenen Jahren schuf,  
 Daß es dir jederzeit, mein Duisburg, mußte glücken.

**R**uf, Stände, singt ein Lobgedicht,  
 Und schaut nach Jülichs Herzogsthronen,  
 Wo Pallas Myrthenkränze slicht,  
 Die Wilhelm reicht zum ewigen Lohne:  
 Besinget das erfochtne Feld,  
 Wer sorget besser vor die Welt?  
 Wer sucht euch Bürger zu erziehen?  
 Wer baut den Musentempel auf?  
 Wer schafft den Rechten ihren Lauf?  
 Rühmt Wilhelms Wisz, er ist's, durch den die Künste blühen.

Doch

**D**och, was für eine trübe Nacht  
 Umhüllt Minervens lichte Höhen?  
 Wo bleibt, o Göttin, deine Pracht?  
 Wie! soll dein Thron verwüftet stehen?  
 Wird deine Schutzwehr, GOTT, entrückt,  
 Wer ist's, der Duisburgs Macht beglückt?  
 Wer will der Weisheit Wachsthum stöhren?  
 Ein Land, wo Mars die Schwerter führt,  
 Ein Land, wo Streit und Zank regiert,  
 Bewohnt Minerva nicht; sie mag kein Raßlen hören.

**W**eint, Musen, weint! nein, hemmt den Lauf  
 Gefalzner Thränen schnelle Fluthen:  
 Hebt eure Augen munter auf,  
 Ihr werdet bald den Schmerz verbluten.  
 Der Vorsicht Wille meynt es gut,  
 Er stärket den gebeugten Muth  
 Und will für eure Wohlfart streiten.  
 Verläßt gleich Wilhelm seinen Thron,  
 Der Brennen Siegmund erbt die Kron  
 Und bringet euch zurück das Glück der goldnen Zeiten.

**D**enkt an die Klagezeit zurück,  
 Die ihr der Brennen Zepfer küßet;  
 Und rühmt des Fürsten Gnadenblick,  
 Den auch der Niedrigste genießet.  
 Wie reizend ist die Zärtlichkeit?  
 Der Glaube, der die Knechtschaft scheut,  
 Singt frey von dem verwünschten Bande  
 Und von des Irthums dunklen Bahn;  
 Der hocheufreute Unterthan  
 Sieht in des Prinzen Huld das Heil vom ganzen Lande.

Be

**B**eglücktes Volk, das Enkel sieht  
 In dieses Fürsten Land entspriessen;  
 Auf deren Stirn die Hofnung blüht,  
 Daß sie den Vätern gleichen müssen.  
 Wie wächst die Freud, wie steigt der Muth?  
 Das Herz erregt von treuem Blut,  
 Schlägt voll Verlangen ihm zu dienen.  
 Die Erde trägt gedoppelt Frucht,  
 Weil Fürst und Volk den Herren sucht;  
 Denn wer die Gottheit ehrt, des Glück muß ewig grünen.

**D**ie holde Großmuth prahlt am Belt  
 Mit ihren zauberischen Mienen;  
 Achill, der nie bezwungne Held,  
 Ist dir, o Königsberg, erschienen.  
 Wie? irr ich? oder ist es so?  
 Erwacht der weise Cicero,  
 Und steigt ein Nestor aus dem Grabe?  
 Die alte Welt verjünet sich,  
 Der Anblick ist recht Königlich:  
 Wer Friedrich Wilhelm sieht, der huldigt seinem Stabe.

**D**ie Helden sind in ihm vereint,  
 Und ihm allein ist es gelungen,  
 Was jedermann unmöglich scheint,  
 Wornach die Vornwelt schon gerungen;  
 Den Staat den Pohlen zu entziehen.  
 So muß der Brennen Churhut blühen,  
 Und ihre sieggewohnte Waffen  
 Wenn gleich der Löw aus Norden brüllt,  
 Und Pohlen nicht die Klagen stillt,  
 Dem Churhut eine Kron, dem Lande Ruhe schaffen.

Da

Da wuchs der Wissenschaften Flor  
 Auf Clevens dickbemosten Hügeln;  
 Auch Duisburgs Ehre stieg empor,  
 Und grünt, gedeckt von Gottes Flügeln.  
 Der König baut den Helicon,  
 Sing, späte Nachwelt, sing hievon  
 Und rühme Preussens weise Helden,  
 Die sich um deinen Flor bemühn,  
 Dir ächte Bürger zu erziehn,  
 Und ihrer Thaten Lob den Enkeln zu vermelden.

Die Krone wird kaum aufgesetzt,  
 So muß schon deiner Waffen Glänzen,  
 Die alle Welt bewundernd schätzt,  
 Auch Duisburgs Wohlergehn umkränzen;  
 Der Prinz, ein heldenmüthger Sohn,  
 Befestigt den ererbten Thron,  
 Und ewig wird sein Nachruhm blühen:  
 Monarch, Dein grosser Heldenruhm  
 Erhält der Musen Heiligthum;  
 Wie schüchtern muß der Neid vor deinen Blicken fliehen!

Rühm, Duisburg, rühme dein Geschick,  
 Dein Friedrich, Preussens grosser König,  
 Verdoppelt seinen Gnadenblick,  
 Ihm ist gemeine Huld zu wenig:  
 Sein Stahl entzückt der Krieger Brust,  
 Er ist der Unterthanen Lust,  
 O Vorsicht! laß ihn lange leben!  
 Dein Arm beschirme seinen Thron,  
 Sey du ihm Sonne, Schild und Lohn:  
 Sein Adler decket uns, ihn muß dein Schutz umgeben.

**S**tell dir, gepriesnes Musenchor,  
 Den Abglanz jener frohen Zeiten,  
 Nur heute recht lebendig vor,  
 Die unsrer Ahnen Herz erfreuten.  
 Nimm Theil an deiner Freundin Wohl,  
 Und liefre ihr der Freundschafts Zoll,  
 Schick Wünsche zu dem Gott der Väter.  
 Der Gott, der für die Völker wacht,  
 Hat diesen Tag so groß gemacht:  
 Dankt vor dieß Jubelfest und jauchzt, ihr frommen Väter.

**B**eherrscher, der die Welt bewahrt,  
 Bring öfters diese Freude wieder!  
 Gott, der den Fürsten Kronen spahrt,  
 Erhör die Dank- und Jubellieder!  
 Laß Preussens Thron gesegnet seyn,  
 Laß sich den König hoch erfreun;  
 Laß deine Seraphs ihn bewachen.  
 Und, so ja dieses Jubellicht  
 Der Welt noch tausendmal anbricht,  
 So müsse jedes Jahr dein Preussen glücklich machen.

**D**er Herr, der seinen Namen schützt,  
 Wird diesen Helicon bewahren:  
 Wenn grauser Feinde Schwertstrich blizt,  
 Soll ihm kein Unglück wiederfahren.  
 Du starker Trost, Herr Zebaoth,  
 Wenn deinem Volk ein Unglück droht,  
 So laß dich als den Schutzgott sehen:  
 Erhalte deines Wortes Licht,  
 Bis einst die Ewigkeit einbricht,  
 Und uns entgegen ruft: Ja, ja es ist geschehen!




Ude  
Auf  
Das frohe  
**Jubel = Fest**  
Der Hundert-Jährigen Stiftung  
Der  
**Universität Duisburg**

Welches  
Den 14. des Wein-Monaths 1755.  
gefeiert wurde

Im Namen derer,  
Die daselbst den Wissenschaften obliegen,  
Verfertigt,

Von  
**J. H. Hermann,**  
Der G. G. V. und der Teutschen Gesellschaften zu Göttingen und  
Bremen Mitgliede.



**W**as für ein froher Jubel:Thon  
Steigt jetzt zu den bestirnten Höhen?  
Täuscht mich kein Traum, so hör ich schon  
Der Hörner hellen Klang in rasche Saiten gehen.  
Der Jüngling singt, der Greis stimmt ein,  
Sie thönen laute Freuden:Lieder;  
Die Musen zieren ihren Reihn,  
Und Echo schallt ihr Spiel gereizet doppelt wieder.

**D**och wie! selbst meine Brust fängt an  
Ein göttlich Feuer zu durchglühen;  
Das Blut drängt sich in seiner Bahn,  
Ich spür mit schnellerm Schlag es durch die Adern fliehen.  
Ein ungewohnter starcker Zug,  
Den nur Horaze fühlend lehren,  
Hebt meinen Geist mit kühnem Flug,  
Doch scheu, empor, bis zu der Dicht:Kunst heiligen Chören.

**D**ie Göttin kömmt; ein ernster Blick,  
Den Huld und Freundlichkeit begleiten,  
Strahlt froh ihr Aug auf mich zurück,  
Und Duisburgs Schutz:Geist geht erfreut an ihrer Seiten.  
Ihr goldnes Scepter rührt die Kron,  
Und plötzlich schweigen die Gesänge.  
Der Schutz:Geist führet mich zum Thron,  
Und gleich umschliesset mich die unzählbare Menge.

Die

Die Göttin ruft: Wie! soll die Schar,  
 Die sonst die frohen Musen ehren,  
 Und der mein Duisburg heilig war,  
 Nicht auch an diesem Fest ihr hohes Spiel vermehren?  
 Ein Fest, wo reine Danck-Begier  
 Das patriot'sche Herz entzündet,  
 Weil Friedrich Wilhelm, Deutschlands Zier,  
 Für zwanzig Lustern hier der Weisheit Sitz gegründet.

Stimm an das Spiel, das Lesbus fand,  
 Und einst Horazens Faust belebte.  
 Besing den Ruhm, den Friedrichs Hand,  
 Durch klugen Helden-Muth zum Glück des Lands erstrebte.  
 Besing der Wissenschaften Flor,  
 Womit sie Duisburgs Lehrer krönen,  
 Und laß ein Freuden-Lied bis Chor,  
 Das spät der Enckel liest, an diesem Tag ertönen.

Entzückt von dieser hohen Lehr,  
 Noch mehr von Friedrichs großem Namen,  
 Erscheint ein wohl gerüstet Heer,  
 Durch einen Zweig geführt von Brennus tapferm Samen.  
 Es ist der Held, den Warschau kennt,  
 Vor dem der Pohle zitternd fliehet,  
 Der voller Muth die Glieder trennt,  
 Und jetzt mit Blut besprüht vom Schlacht-Feld siegend ziehet.

Wer ist's, der Fehrbellin durchbrüllt?  
 Der Sieg-gewohnte Löw aus Norden,  
 Der dort vom Raub den Hunger stillt,  
 Und Ströme blutig macht durch sein erbostes Morden.  
 Doch Friedrich kömmt, Er sieht, und siegt,  
 Und schlägt ihn gleich dem Blitz darnieder;  
 Er hilft dem Land, das schmachkend liegt,  
 Und kehret im Triumph an Lorbeern reicher wieder.

Stettin, und Stralsund zeugt noch heut,  
 Wie schrecklich Er die Blitze schleudert,  
 Wenn Ihm Sein Arm Verwüstung dräut,  
 Und Mauren, Thürm und Wall wie einen Stab zerseutert.  
 Selbst Frankreich bebt; sein Troß wird scheu,  
 Wenn dieser Held die Fahnen schwinget,  
 Er reißt der Fesseln Last entzwey,  
 Worinnen Deutschlands Fuß die Herrschsucht slavisch zwinget.

No wie Laërtens weiser Sohn,  
 Wenn ihn des Trojers Stolz erwachet,  
 Gefahren troßt, des Feindes Hohn  
 Durch kluge Tapferkeit mit Ruhm zu schanden machet,  
 Und dann, durch Siege groß, zurück  
 Zu dem bedrängten Lande eilet,  
 Und größter wird, wenn er das Glück,  
 Das Ruh und Frieden schenckt, dem Unterthan ertheilet.

No ist mein Friedrich groß im Krieg,  
 Noch größter aber in dem Frieden.  
 Er bringt den Seegen mit dem Sieg,  
 Und Ruh und Ueberfluß ist seinem Volck beschieden.  
 Gerechtigkeit stützt seinen Thron.  
 Vom Werth der Tugend ganz entflammet,  
 Beschützt Er die Religion,  
 Und folgt selbst ihrer Spur, weil sie vom Himmel stammet.

Gleich Barbaren mit schnellem Lauf,  
 Dein finstres Reich wird nun zerstöret.  
 Er baut der Weisheit Tempel auf,  
 Weil Er sie kennt und liebt, und ihren Glanz verehret.  
 Komm du mit Freud erfülltes Chor!  
 Du sollst der Wahrheit Zeugniß geben.  
 Wer hob dein Duisburg so empor?  
 Wer machte, daß darinn die frohen Musen leben?

Ihr

Ihr Priester in dem Heiligthum,  
 Wo man der Weisheit Opfer bringet,  
 Die ihr euch durch des Wissens Ruhm,  
 Mit eines Adlers Flug bis zu den Sternen schwinget,  
 Sagt an, wer ist der grosse Held,  
 Dem ihr heut Danck und Ehr bezeiget?  
 Ist's Friedrich nicht, den in der Welt  
 Der Zweyte Friedrich nur an Grösse übersteiget?

Glück! o seltnes Glück das dir  
 Erfreutes Duisburg wiederfähret!  
 Wer ist, der nicht mit Ehrfurcht hier  
 Des Höchsten Wunder-Güt und weise Fügung ehret?  
 Der Grosse Friedrich pflanzte dich,  
 Von dessen Lob dein Herz heut brennet,  
 Und sieh, Er lebt im Friederich,  
 Der Preussens Scepter ziert, den Ost und Westen kennet.

Schweig, scheue Muse! wag' es nicht  
 Von dieses Helden Ruhm zu singen.  
 Sein Glanz verblindet dein Gesicht,  
 Zu seiner Höhe kan nur Lang und Pyra dringen.  
 Was im Achill, August, Trajan  
 Das graue Alterthum bewundert,  
 Triffst du in Ihm vereinigt an,  
 Ein solcher Held ist nur die Kraft von Jahren hundert.

So wie der Sonnen holde Gluth,  
 Des Erdbewohners Brust ergöset,  
 Und auch der Bosheit freche Wuth  
 Durch ihres Blitzes Strahl in Furcht und Zittern setzet;  
 So sieht man seiner Augen Schein  
 Zwar Ernst doch auch Gnade stralen,  
 Und = = nein dis Bild ist noch zu klein,  
 Um seine Majestät nach Würden abzumalen.

Er ist des Wissens Zierd und Schutz,  
 Der Völker Lust, des Feindes Schrecken,  
 Er bieth dem frechen Laster Trutz,  
 Und ist mit Macht gerüst, die Unschuld zu bedecken;  
 Der Seegen blüht, wo Er regiert;  
 Das Glück sproßt unter Seinen Tritten;  
 Der frohe Unterthan gerürt,  
 Verehrt der Gottheit Glanz sichtbar in seiner Mitten.

Europens Reiche stehn entzückt,  
 Von seiner Thaten Groß bewegt.  
 Des Meeres Abgrund selbst erschrickt  
 Wenn es jezt seinen Ruhm nach fremden Welten trägt;  
 Die Zwietracht muß vor Ihm entfliehn,  
 Sobald Er ernste Blicke schieffet,  
 Der Länder Heyl ist Sein Bemühn.  
 O drey mal selig Volk, das Friedrichs Scepter küßet!

Komm Schaar der Musen Freuden-voll,  
 Bekröne dieses Fest mit Reigen,  
 Laß für des besten Königs Wohl  
 Der Wünsche Flammen heut zu Gottes Throne steigen.  
 Wenn dieser blüht, so blüht dein Glück,  
 Und Duisburg ruht auf Marmor-Stützen,  
 Weil Friedrich Wilhelms Meister-Stück  
 Der Zweyte Friedrich wird mit Macht und Huld beschützen.



*BREVIS NARRATIO*  
INAUGVRATIONIS  
ACADEMIÆ  
**DVISBVRGENSIS**

ANTE CENTVM ANNOS XIV. OCTOBR.  
clō lōc lV.

FACTÆ,  
RITVVMQVE NONNVLLORVM,

EX  
VBERIORE HISTORIA,  
AD MAJOREM EORVM,

QVÆ  
IN ORATIONE PANEGYRICA  
ALIBIQVE DICTA FVERVNT,  
ILLVSTRATIONEM  
DECERPTA.



ACADEMIA ELECTORALIS  
QVÆ EST  
DVISBURGI CLIVORVM,  
DEDICATA.

---

**Q**uoniam aggressi sumus pompam tradere, qua in sede sua ac fastigio locata est Duisburgensis Academia: à proposito alienum non erit, paucis supra repetere; ab quibus initiis profecta, quæ aliquamdiu jacuerunt, auspiciis primum Serenissimi Electoris Brandenburgici FRIDERICI GVILELMI cœperit surgere, & paulatim eo progredi, ut magnarum Academiarum numero solenni honore inferenda videretur. Seculum enim jam vertitur, ex quo ea res agitari cœpta est: nec gloriosè cogitata feliciter patrari potuerunt. Memoriae nominis GVILELMI, cui cognomen vulgo

go

go Divitis dixere, Juliae, Cliviae, Montium Ducis, tribuendum est, quod primus sedulo istam gloriam adfectaverit, dederitque viam, qua deinde aditus facilior his terris esset ad maximi boni emolumentum. Sive illud æmulatione incensus fecerit, cum videret passim in tota Germania struendis officinis, ubi ingenia excolerentur, operam & sumtus impendi: sive quod credebat, Scholas studiisque sapientiae ornatam juventutem munimenta imperiorum esse. Utrumque convenit Principi, quem constat eruditissimi Heresbachii sub auspiciis literarum tirocinia feliciter deposuisse, & postquam adolevit aetas, iis, qui doctrinae laude floruerunt, magnum honorem habuisse, & nonnullos in aulam sibi adscivisse. Impulerat primum in ea consilia animi loci opportuni occasio, quae suppetebat; in quo sita Academia, quantum divinari humana ratione potuit, debebat florentissima evadere. Quid enim accommodatius inveniri potuit, quam oppidum multis seculis illustre; quod in medio positum illarum regionum, quae in ditone Ducum Juliacenensium fuere, circumfluit copiis eorum, quae ad vitam usum necessaria vel jucunda solent esse. Regia quondam Francorum sedes, Anseatica societati innexa, denique Imperialis & libera: quam fama est Tuisconem arcem sibi struxisse. Ipsa sane nomina conditores vel Tuisconem vel Teutonem videntur praefere. Sed nobis, ut in re vetusta, ista nec affirmare nec refellere in animo est. Illud satis constat, urbem illam, quae nostram hospitio excepit Academiam (sive à Tuiscone, sive à Teutone nomen ei ducendum: sive Dispargum à mittendis in Westfaliam & dispergendis copiis, quod tradunt ex illa sede belli Carolum Magnum fecisse, cum Westfalos subjugare intendisset; sive Duisburgum antiqui à Tuiscone vocabuli vestigiis appellanda sit) diutissime dignitate inter primas hujus regionis fuisse, & nunc eundem gradum obtinere. Accedunt aëris temperies, quae omnes anni partes salubritate aequat, fertilium passim uber camporum, pratorumque virentium latissima facies; immensa sylvarum amenitas & lenes fluviorum susurri. Ita in ipso Germaniae & Belgii posita confinio, qua Rhenus & Rura miscentur, opportunissimum utrique genti secreta literarum noscendi avidissimae, mercatum poterat praestare, unde liberales vel animi vel corporis voluptates compararentur. Quorum contemplatione motus heros, quam rem animo adhuc versaverat, impendio magis cupiit perficere: cumque quaerenda privilegia essent, quorum jure Academia posset condi, sedulo id operam dare non est gravatus. Quo magis voto eventus respondit. Etenim laudatissimo proposito & Pontifex auctoritatem suam accom-

modavit; omnia condonando privilegia, quæ principes in Germania, Galliis, Italia Academiæ haberent: nec mox dein magno eadem negotio Cæsarem exoravit GVLIELMVS, cum affinitate junctus esset, ejusque in matrimonium sororem duxisset. Maximilianus secundus is erat, cui paulo ante ad regnum Bohemiæ majestas Imperii Romani accesserat. Ergo insignem dignatione amplissimis & Cæsareæ & Pontificiæ majestatis subnixam privilegiis Academiam jam tum habebant terræ nostræ, nisi in alium hujus laudis titulos transferre divina voluntas deliberavisset. Tumultus bellici, æmulaque finitimum invidia, & ipsa magnarum perfectio rerum tarde procedere solita, proposito moram attulerunt. Nec mox successorem Johannem iustam istarum rerum curam natura sivit agere: & si aliquando in mentem id venit, sævæ bellorum tempestates & contagia, (ut ante patri, post maximè iis, ad quos has in terras delatum hæreditate imperium est) debuerunt cunctationem injicere. Ita divinitus (quod gaudent, quorum mentes lux purior cælestis doctrinæ illustravit) ad Serenissimum Electorem FRIDERICVM GVLIELMVM res integra devenit; Principem ut maximum Imperio, ita si virtutes intueare, omni laude majorem. De quo ex merito dicere, non recipit arctatæ orationis modus. Invictus labore & periculis animus, & rerum belli gestarum laudes magnis ingeniis dicentur. Qualem domi Principem gerat; dum veræ Religionis Defensor, dum Juris & Æqui Propugnator est, inde cui libet licet existimare. Inde in artes & studia propensus amor, magnique & pæne profusi sumtus: quasi in eo parum modum fervare, id demum virtutis esset. Exploratum enim habet excellens Principis prudentia, literis ingenia ad laudem & industriam inflammari; & nutrices eas omnium virtutum, imò matres esse. Quo magis pro indigno habuit, excitandi Academiam privilegia æterno situ obducta jacere, & in hoc tantum quæsitæ videri, ut multorum vota frustrarentur. Ille verò in apricum ea proferri, & (quod felix & faustum esset) rem DEO gratam, Christianismo utilem, salubrem Reip. ipsi gloriosam ad finem deduci iussit. Enimverò eam curam studiorum in Principe reperiri, ut cum duas maximi nominis Academias possideret, Regiomontanam & Francofurtensem; tertiam impensis sumtibus non dubitaverit adjicere! Quam gloriam (præfiscine dixerimus) Serenissimi Electoris Brandenburgici propriam esse, liquido possumus affirmare. Sed illuc revertimur. Largitus certos redditus, unde honorarium haberent Professores, & sumptus in rem & usum Academiæ possent fieri; nihil quicquam amplius moræ addi passus est, nisi quam

quam laudaret, quisquis prudens potius, quam præceps videri mallet. Evocatis enim doctoribus, qui artes primas & scientias profiteantur, dum spes tentatur & futuri simul operis fundamenta jaciuntur, triennium absumtum est. At cum initia maxima quæque sponderent, & matura res videretur; vel ipsa fama judice amputandas moras esse decrevit, & utendum occasione, quæ numquam sine damno quaeritur, quando præfens est. Jam tum terribilia toti Europæ Suecus arma sumserat, & cæci armorum tumultus passim tumescebant. At non concutere ea constantiam nostri Principis aut inhibere potuerunt, quo minus pacis opus perficeret: nec tamen foris vis aliqua hostilis appareret, minore gloria imperium domi administrandum videbatur. Cum ipsi adversus subita belli armato milite muniendi Imperii sustinenda cura esset; & id unum nostræ felicitati defuturum videretur, ne præsentem in ipso gaudio intueremur, quo autore ad invidiam votorum compotes eramus; egregiâ istud ratione pensatum est, dum Nassovius Princeps Johannes Mauritius ad has partes advocatur: ut quod nomen vindicandæ libertati augendæque natum videtur (finitimum testatur Belgium) artium eidem, quæ liberos decent, & unde vera animis paritur libertas, dedicandus locus magno omine committeretur. Addita est Cliviaci Consilii veneratio: nec inviti Proceres Patriæ fecerunt, ut quod opus insigni adhuc curâ foverant, id nunc numeris omnibus perfectum darent. Statuto his solennibus die, Curatores Academiae designati, literis rem omnem comprehenderunt; quas in omnes terras & loca, præsertim ubi studia colerentur, primâ quoque occasione perferri, & quantum in ipsis fuit, publice passim proponi curavere: ut cum omnibus hoc gaudium communicaretur; & quibus hujusmodi negocia voluptati essent, ad honestissima & rara spectacula, quibus dedicatio nostræ Academiae peragenda erat, excitarentur. Sed ipsarum literarum exemplum subjiciemus; quo unicuique plenius & totas cognoscendi copia fit.

SERENISSIMI PRINCIPIS  
FRIDERICI WILHELMI,  
MARHIONIS BRANDENBURGICI, S. R. I. ARCHI-  
CAMERARII, ET ELECTORIS, MAGDEBURGI,  
BORUSSIÆ, CLIVIÆ, JULIÆ, MONTIVM, STETINI,  
POMERANIÆ, &c. DVCIS, &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

*Ad Ordinandam Academiam, quæ est Duisburgi, in Ducatu  
Cliviæ, constituti Curatores.*

L. S.

**C**ONSILIA tarda cum ratione, quam prospera casu, potiora videntur. Consultat prudentissimus quisque, priusquam incipiat; mox ubi provisum videtur, ne male cæpta cadant, aut ad irritum revolvantur, maturè judicat, quæ molitur, effecta reddi. Cunctator, salutare imperio Romano nomen, procumbentem & pæne lapsam Remp. morâ restituit. Augustus, qui res Cæsarum composuit, *lente festinandum esse* præcepit. Nec alia Serenissimi Electoris Clementissimi Domini nostri mens esse videtur, qui cum Academiam terris nostris vellet dare, diu deliberandum & parvis initiis paulatimque procedentibus rem tentandam duxit: at postquam jam valida vidit incrementorum fundamenta, decrevit consultis facta jungere; & (tantò feliciter optamus, quantò consideratius) auspiciatissima ultrò ad magna surgentis Academiae incunabula in fastigium provehere, summisque Academiis autoritate & dignitate æquare; jure privilegiorum, quæ à Cæsarea Majestate profecta his usibus inservire, quam neglecta jacere gloriosius visum. Gratulari eo nomine terris nostris libet, quum hoc ingenio Principem fortiti sumus, quem in undique circumstrepentium bellorum formidine liberales artes propagandi cura tangat: quas aliis videas in pace & otio neglectui esse. Optimi Principis est, subjectos exemplo regere, & rectè facere faciendo suis monstrare. At non exemplo tantum, sed sumptu quoque & magnis impensis Noster ad usum vitæ laudatæ laborat inducere. Igitur non contentus amplissimam hoc in genere traditam à majoribus gloriam tueri; suam quoque voluit adjicere; cumque duas accepisset, tertiam ipse Academiam condere: in qua propensissimæ voluntatis & perhibendæ liberalitatis adversus ingenuas artes, magis etiam expressâ vestigia & testatam memoriam relinqueret: occasione denique facili jam inde à tene-

teneris suos ad virtutem impelleret; & quam plurimos cives privatim publiceque utiles efficeret. Quam rem tantò alienigenis quoque speramus gratiorem fore, quantò magis optamus vel maximam inde ad eos utilitatem pervenire. Quod igitur Serenissimo Electori Clementissimo Domino nostro jucundum semper ac lætum, terris nostris, toti rei literariæ, universis ejusdem cultoribus, faustum & felix sit, Celsissimus Princeps Nassovius & Magnificum Consilium Clivense, autoritate Serenissimi Electoris, destinaverunt ad diem *quartum decimum proximi Octobris* (stylo novo) quæ incertis rumoribus, in magna expectatione bonorum, adhuc incassum jactata sunt, eventu comprobare, & oculata fide repræsentare; nostræque Academiæ pompâ & apparatu solenni manum ultimam imponere. Post preces pias, & vota publica, oratio Serenissimi Electoris nomine habebitur: mox Creatio Magnifici Rectoris, Legum promulgatio, Candidatorum in omnibus Facultatibus promotiones, suis quæque diebus, ut mos est, peragentur. Tandem disputationes minus vulgatæ materiæ accedent. Quibuscunque artes, honosque & res secundæ studiorum curæ & cordi sunt, omni studio oratos volumus, ut actuum istorum, magnâ sui frequentia, quam ornatissimam & augustissimam speciem velint efficere. Tu gloriosa spes Academiæ nostræ, sacrata studiis Juventus, ades, voto fruire, quo sæpè optasti videre diem, quem promittimus. Et quotquot mutare Academiæ, aut nunc primum petere, incrementorum sapientiæ quærendi causâ, deliberatis, accedite, concelebrate hoc festum, & egregiè convenientem Musis sedem inspicite. Ubi nec læta agrorum fertilitas, nec fluminum leni agmine fluitantium gratissima meditantium vel fesso studiis murmura; nec virentium desunt amœni secessus sylvarum: ubi vel Dianæ vel Minervæ possitis præsentiam experiri. Ubi parvo tamen dispendio lautè quoque licet vivere. Undique vocati Professores assiduam operam præstabunt: nec publica nec privata exercitia intermittentur: nihil quisquam sibi reliqui faciet, quod ad vestra studia promovenda putabit pertinere. Sed & alia animi & corporis, quæ scire ingenium fas est, ut Musices, ut equestria, & id genus exercitia in promptu erunt. Denique omni cura, cogitatione, opera id agatur, ut & studiorum vobis constet ratio & utilitas, nec liberalium delectamentorum desit varietas. Quæ vobis ut re obvenirent, nobis verbis prædicanda fuerunt. Valet. Clivis  $\frac{1}{5}$ . *Augusti, 1655.*

Ceterum quo his literis major autoritas accommodaretur, simul uti ad illorum notitiam rectè res perveniret, quorum ad utilitatem maximè pertinebat, lingua vernacula Edictum Serenissimus Elector hujus exempli adjecit.

Don

**V**on Gottes Gnaden, Wir Friederich Wilhelm,  
 Marggrave zu Brandenburg, des H. Röm. Reichs  
 Erz-Cämmerer und Churfürst, zu Magdeburg, in Preussen,  
 zu Cleve, Gülich, Berge, Stettin, Pommern, der Cassuben  
 und Wenden, auch in Schlesien zu Croffen und Jägerndorf  
 Herzog, Burggraf zu Nürnberg, Fürst zu Halberstadt  
 und Minden, Grave zu der Marck und Ravens-  
 berg, Herr zu Ravenstein, ic.

Thun hiemit kund und zu wissen, was massen Wir jederzeit vor nützlich  
 und nöthig erachtet, auch sehr begierig gewesen, zur Ehre Gottes des  
 Allerhöchsten, zu Ausbreitung der wahren Christlichen Evangelischen Reli-  
 gion, zu Fortpflanzung und Erhaltung aller guter und heylsamer freyen  
 Künsten und Wissenschaften, zu fordern in den vier Haupt-Facultatibus,  
 Theologica, Juridica, Medica und Philosophica, wie nicht weniger in  
 den Sprachen, in den Historien und andern löblichen Exercitiis liberali-  
 bus, eine sonderbare und eigen Universitæt und Hohe Schule in diesen  
 Unsern Clevisch-Gülich-Bergischen und angehörigen Landen zu stifften, zu  
 begaben und anzurichten; Gestalt dann zu einem solchen Ende Unsere geehr-  
 te Vorfahren, die vorige Landes-Fürsten erwehnter Unserer hiesigen Lande,  
 allbereit vorlängst stättliche Käyserliche Privilegia zu Aufrichtung einer sol-  
 chen Hohe-Schule ausgebracht, krafft deren dieselbe aller derjenigen Pri-  
 vilegien, Authoritäten, Prerogativen, Freyheiten und Gerechtigkeiten,  
 womit die aller vornehmste Universitäten, in ganz Europa begabt seynd,  
 habhaft seyn und geniessen solle;

Nachdem nun angeregte Unsere löbliche Vorfahren, und Wir selbst,  
 durch die weltkündige so lang gewehrete schwere Kriege an diesem guten  
 Vorhaben eine sehr geraume Zeit von Jahren mercklich gehindert gewesen;  
 Und aber die Zeiten sich, Gott Lob! nunmehr etwas gelinder und sanfter  
 anlassen, haben Wir, ungeachtet der noch übergebliebenen, und biswei-  
 len wieder hervorbrechenden ungestümen Winde der Waffen, dennoch  
 nicht länger zurück halten, sondern den gefassten heylsamen Vorsatz endlich  
 durchdringen und zu Werck richten wollen: wie Wir dann auch in der  
 That selbst eine solche Universitæt, und Hohe-Schule in Unserer Stadt  
 Duisburg, in Unserm Herzogthum Cleve gelegen, in Betracht des Orts  
 zu einem solchen Werck innerlichen und äusserlichen ziemlich guten Bequem-  
 lichkei-

lichkeiten, aufgerichtet, dieselbe mit allen hierzu nöthigen Unsern Privilegiis, auf den Fuß und nach Inhalt obangezogener Käyserl. Privilegien, ingleichen mit guten und tüchtigen Professoribus in gemeldten Facultäten und andern auf Universitäten gewöhnlichen und erspriesslichen Professionibus und Studiis versehen und versorget haben, auch noch ferner nach erheischenden Gelegenheiten gnädigst versehen und versorgen werden.

Und dieweil Wir Vorhabens seynd diese von Uns also angerichtete und gestiftete Universitatem, Academiam und Hohe-Schule, üblichem Gebrauch nach, mit gewöhnlicher und hergebrachter Inauguration und allen dazu gehörigen Solemnitäten, vornehmlich mit dem Gottes-Dienst, demnächst mit gewöhnlichen Orationen, auch würcklichen Promotionen zu den gradibus in den Facultäten auf den 4. Tag des Monaths Octob. schiers künfftig einführen, einleiten und bestätigen zu lassen:

So haben Wir nicht umbgehen wollen, solches alles hiemit zu jederman, welcher Religion (die nur im H. Röm. Reich zugelassen ist) er auch seyn mag, Wissenschaft zu bringen: Auf das Manniglich, wer Lust und Liebe darzu trägt, er sich auf jetzt benannten Tag in Unserer Stadt Duisburg einstellen, berühreter Einführung und Inauguration und den dazu gehörigen solemnitatibus beywohnen: Auch ferner, nach eines jeden Gelegenheit und Zuneigung, mit Verbleibung und Anstellung seiner studiorum daselbst sich dieser Unserer einem jeden, er sey In- oder Ausländisch, zum Besten beschehenen Stiftungen gebrauchen, und fruchtbarlichen Genuß empfinden möge. Geben zu Cleve am 12. Augusti 1655.

An statt und von wegen höchstg.  
Ihro Churfürstl. Durchl.

J. Moriz, Fürst von Nassau.

Vt JOHAN VON DIEST, v. c.

J. G. Kuchenbecker, S.

Ee

Cum

Cum res hac ratione in plerasque Europæ regiones longe lateque disseminata esset, & in sermonem missa summis laudibus passim extolleretur: ne non omnia expectationi satis responderent, Celsissimus Heros JOANNES MAVRITIVS Princeps Nassovius, & Magnificum Consilium Cliviense, maturè omnia comparanda decreverunt, quæ ad dedicationis solennia instruenda & ritè peragenda pertinere viderentur. Quod factum nobis spem adfirmavit, & ut magis in majore gaudio versaremur, effecit. Sed quam facile humana vertuntur, & quæ pulchrè parata possent videri, quam subito impedita sunt! Ecce Nassovium Heroa causæ graves evocant in Belgium, & diu attenturæ videntur: magnæque & multæ res Magnifico Cliviatorum Procerum Collegio obijciuntur, quæ non sinerent operam dedicationi dare; nisi mox ipsorum prudentia id periculum discussisset, inveniendò viam, qua molem negotiorum ad exiguum tempus evaderent, & paululum sibi vindicarent otii, quod æternæ laudis negotio impenderent. Qui mox, quo demonstrarent magis summum hujus propositi ritè exequendi studium, literis operosè scriptis Celsissimum Principem Nassovium laboraverunt inducere, ad dignitate & præsentia sua, si quâ posset id fieri, dedicationem Academiæ condecorandam. At jam in eo Heros erat, & ad sedem suam occupaverat iter remetiri; pauloque post exoptatissimo adventu omnem metum dubiasque curas sustulit. Interea dum hæc aguntur, præstantissimi juvenes, qui post promulgatam inaugurationem advenerant, summos honores in sua quisque arte perituri, solennia doctrinæ specimina quâ privatim, quâ publice ediderunt. Ceperunt ea Professores, quibus Electorali Rescripto ad id in antecessum potestas data erat. Cæterum cum jam proximè ad spem admoti essemus, & immoto decreto, servandi diem, quem dixerant, Celsissimo Principi & Magnifico Collegio Cliviensi sententia federet, JOANNES CLAVBERGIVS, Rector Academiæ designatus. v. Id. Octob. hujusmodi edictum proposuit.

RECTOR

RECTOR ET PROFESSORES  
 NASCENTIS ACADEMIÆ DVISBURGENSIS  
 CIVIBVS SVIS.

*Salutem.*

**D**estinatus appropinquat Academiae in Templo Urbis majore, propitio Numine, inaugurandae dies, qui mensis modo labentis quartus decimus omnibus bonis optatissimus illucebit. Serenissimi Electoris Brandenburgici nomine Vicarius ejus, Celsissimus Nassovici sanguinis Princeps, totumque patriae Illustre Regimen magnifico actui praerit, intererunt genere, virtute, eruditione praecellentes alii quam plurimi, solenni ritu natalem Academiae cohonestaturi. Clementissimus Dominus noster Germanico, Nobilissimi Curatores Latino Programmatae gratosè & benevolè cunctos jampridem invitârunt. Quibus hoc nostrum ut tempore postremum, ita verbis brevissimum, adjungendum censuimus, cum veteri proverbio, quod pulcrum est, bis ac ter esse repetendum, doceamur. Rei tot seculorum decursu divinitus patriae nostrae semel duntaxat obtingentis raritas, inque tantum Regionum atque Ecclesiarum commodum tendentis gravitas Vos, primos novae Reipublicae cives, nominatim compellingi munus nobis injunxit. Igitur compositis & mentibus & corporibus, ardentibus precibus, ac devotis animis ut aeternitati consecrandum festum velitis nobiscum celebrare, Vos etiam atque etiam hortamur. Nihil in terris laetè progerminare absque solis influxu, magnarum rerum sine caelesti Numine geri nullas posse novistis; neque ignoratis qualia illud à cultoribus suis, externis ritibus minimè contentum, requirat sacrificia. Talia si adferetis, ut spes & votum est nostrum, DEO vos & Superioribus in terra vestris, ut verae sapientiae studiosos decet, commendabitis. Valete. Duisburgi Clivorum, decimo Octobris, Anno Servatoris 1655.

Postridie Clivia venerunt Generosi & Magnifici Domini WIRICHIVS à BERNSSAV Dominus in Bellinckhave, & Rhunen, & JOHANNES à DIEST, Cliviacarum & Marcan. ditionum Director & Vice-Cancellar. Regiminis Consilarii, Academiae nascentis Curatores: quae nomina audiverunt, quorum ad aures fama nostrae Academiae pervenit. Certè enim (si vera volumus noscere) horum curae & industriae, accedente Numinis divini voluntate & Serenissimi Electoris insigni liberalitate,

E e 2

litate,

tilate, magnam partem debetur, quod desperata pene res Academiae, ad hanc magnitudinem pervenit, quae certè jam ea est, ut invidiam possit concitare. Igitur ut semper alias, ita nunc maximè, cum dedicatio Academiae celebranda esset, quae non nihil, imò plurimum auctoritatis Academiae potest adjicere; omni curâ advigilaverunt: & quò minus aliquid offenderetur, & omnia rectius fierent, advenerunt tempestivè; locoque amplissimo, (templum id Urbis maximum erat) adornato, accuratoque ordine, quo omnia peragerentur, maximi Viri Curatorum nomen summa cura implere non sunt dedignati. IV. Idus Oct. Magnificum Regiminis & Justitiae Consiliariorum Collegium, quod Cliviae est, iter Duisburgum versus ingredi cœpit. Illustrissimus Princeps Nassovius, cum majoris momenti negotia moram afferrent, quae pene compulerant ad rem procrastinandam; maluit itineris labori adjicere, quam committere, ut tanta hominum multitudo, quae undique spectatum venerat, spe vana deluderetur. Itaque dilato in proximum diem itinere, cum quod cessatum esset, id prope-ranti festinatione pensaret, trans Rhenum Cliviacos Proceres consecutus, unâ his trajecto flumine, quò Generosissimi & Amplissimi Curatores, WIRICHIVS BERNSSAW & JOHANNES à DIEST, adversum venerant, flexo in vesperam die urbi appropinquare cœperunt. Illos universa militaris civium aetas, quae in armis ad Rhenum toto die praestolata erat, omni honoris & obsequii specie prosequuntur. Inter hæc campanis omnibus in totam urbem lætitiæ praesentis indicium deferunt. Effusa senum puerorumque omnisque adeo generis, ordinis & loci ingens multitudo: & vix quemquam sexus aut aetas remorata est, quem non insoliti spectaculi desiderium exciret. Ita Reverendissimus & Celsissimus Princeps, & Illustre Cliviacorum procerum Collegium magnifica curruum, equorum, satellitumque facie, inter praevios aeneatorum suorum concentus, & musicos tubicinum tibicinumque passim obvios & respodentes choros, inter tacita denique bonorum omnium vota, per urbem invecti, in aulam principis, ut vocant, diverterunt. Eò Collegium Professorum convenerat, ut gratulandi adventum officium fungeretur, qui postquam admissi, & coram data copia fandi; omnium nomine JOHANNES SCHVLTINGIVS Eloquentiae & Historiarum Professor ad hunc modum verba fecit.

REVERENDISSIME & CELSISSIME  
 PRINCEPS NASSOVIE,  
 JOHANNES MAVRITI,  
 ILLVSTRE ET MAGNIFICVM CONSILIARIORVM  
 COLLEGIVM.

**J**ustissima minime vulgaris lætitiæ causa ullis mortalium umquam si oblata est, nobis id hodiè contingit; cum decus & dignitatem terrarum nostrarum convenisse huc videmus, ad sedem Musarum inchoatam feliciter, magnifice consummandam. Salvete, magni Hospites, quorum veneranda autoritas & præsentia huic urbi honorem, nostræ Academiæ hanc addet dignitatem, ut mensuram sui nominis possit implere. Gratulantur adventum sibi vestrum, quicumque optant sinceram cælestium arcanorum doctrinam propagari: qui desiderant leges sacrosanctas in honore esse, nec nefanda juris imperitorum audacia violari: qui judicant artes, quæ corporum humanorum calamitatibus medentur, necessarias esse: qui disciplinas liberales non aspernantur. Gratulantur maxime eo sibi nomine, si qui sunt civium nostrorum, qui sine dubio non pauci sunt, quibus non satis est, filios genuisse, sed recte eductos atque edoctos habere. Quam ipsi inde lætitiâ perceperimus, qua laude gloriosissima hæc vestra consilia nobis tollenda videantur, longum est, si velimus exponere. Quod gratius fore credimus; ne molesti simus, paucis primum omnium, Reverendissime & Celissime Princeps, Illustre & Magnificum Consiliariorum Collegium, gratias agimus immortales, quod rem literariam adeo vestra cura dignam judicastis, ut illius causa labores itinerum volueritis suscipere. Sed & illud summissè oramus, ut in consilio, quod cepistis, dignemini clementer persistere: nomine Serenissimi Electoris Clementissimi Domini nostri, huic Academiæ pompa solenni & amplissimis privilegiis auctoritatem & dignitatem addere; eam consummare, & cum hoc nostro Collegio in vestram clientelam accipere.

Dixerat. nec mora, Reverendissimi & Celissimi PRINCIPIS NASSOVII, nec non Illustris & Magnifici Consilii Cliviaci nomine, JOHANNES à DIEST, Cliviacarum & Marcanarum ditionum Director & Vice-Cancellarius, Academiæ quoque nascentis Curator, adhuc ferme modum respondit.

*Reverendi, Clarissimi, Doctissimi.*

**G**ratissimum Reverendissimo & Celsissimo Principi, & Illustri atque Magnifico nostro Collegio accidit, quod solenni modo adventum iis felicem venistis gratulatum. Et tanto gratius, quo animis insidet ardentius desiderium votis civium satisfaciendi, & locum his terris dandi, ubi quasi in conspectu ceream in vitia flecti suorum filiorum ætatem possint studiorum causa mittere, nec tantum artibus erudiendos curare, sed etiam ad constantiam in vita honesta & virtute feliciter perducere. Deum Opt. Max. Rerump. præsidem, omnis sapientiæ fontem & conservatorem unicum precamur, ut quod opus ad utilitatem imperii, & ad veram & sanam de salute doctrinam pro virili promovendam cæptum est, ei velit incrementa dare, & que huc cura & sumptus studio pietatis & artium omnium bonarum impendentur, ea prosperet, & ut seram apud posteritatem nostris terris utilia, & Serenissimo Electori gloriosa sint, efficiat. Quod uti ex animo vovemus, ita illud, cujus causa venimus, & de quo capta consilia ut exequamur, modo petiistis, crastino, si volet Deus, die peragemus, & Serenissimi Electoris Brandenburgici, Clementissimi Domini nostri, Academiam, qua dignum est, ratione dedicabimus.

**H**is dictis JOHANNES CLAVBERGIVS, Rector Magnus designatus, quæ par est reverentia, Celsissimum Principem accessit, & quod adventum gratulandi causa oratione memoratum erat, id datâ dextrâ confirmavit. Ita tum dein eo discedente ceteri Professores ordine secuti sunt. Studiosi mox, qui & ipsi, quò Celsissimo Principi & Magnifico Procerum Collegio adventum gratularentur, congregati erant, tres juvenes primarios, quos eam ad rem suo è corpore legerant, miserunt: qui admissi, cum provinciam sibi impositam paucis objissent, ad suos regressi sunt. Postremò tormentorum tonitrua prolusioni Dedicacionis finem attulerunt.

Insequenti die cum lux jam clara esset, undique in aulam Principis convenerunt, quorum præsentia magnificentiam pompæ instructura erat. Ibi paulisper morati, cum tempus rem agendi videretur; hoc ordine, qui recitabatur, processerunt. In fronte prima agminis tubicines, tibicinesque modulatissimo cantu mulcebant aëra, tacitis omnium gaudiis congruentia effundentes carmina. Excipiebat tenera ætas, seminarium Academiæ, spes patriæ & subsidia futura, per classes suas distincta, ducentibus iis, quorum metu & industria continentur & paulatim jam inde à pueritia ad magna formantur. Inde in  
unam

unam cohortem contributi dominorum, qui aderant, ministri sequebantur. Hos dein sequebatur militaris aeneatorum turba, animos Martios in praelia classico accendere solita, nunc sacra Palladis concelebrans, & pacis amantia pectora dulcisono concentu perfundens. Subinde aperire se facies cepit pompæ nobilior, quæ cæteris conspectior erat, & fulgore adeo suo omnia illustrabat. In ea generis nobilitate insignes, dignitate conspicui, meritis in patriam quâ domi qua belli præstantes viri erant: quorum in numero Meursensis Satrapa & Governator, claudentibus latus utrimque duobus filiis: quem sex summo loco nati excipiebant juvenes, singuli ordine singula Academicorum insignium sericeis pulvinaribus imposita manibus præferentes, primum omnium Fridericus Wimarus ab Heyden librum Academicorum actorum, albumque studiosorum: Sigilla dein Academiæ & Facultatum Hermannus Theodorus à Reck: Theodorus Stephanus à Neuhoff claves Curia, Auditorii, Carceris: quem sequutus Reinoldus à Coeverden sceptrum Academiæ duo solido argento affabrè facta aurique fulgore distincta: inde Privilegia & Leges Academicas Ernestus ab Itersum; postremo diplomata Cæsarea, Electoralia & Papalia C. Christianus Vogt ab Elspe, quibus Academiæ dignitas fundata est, & innitur.


Incedebat inde Reverendissimus & Celsissimus Princeps Nassovius JOHANNES MAVRITIUS, Comes Cattimelibocorum, Viandæ & Decii &c. Clivia & annexarum regionum Proprinceps; Electoralem dignitatem addens operi præsentia suâ. Cui proximè junctus Illustrissimus Comes de Falckenstein & Broeck comitatus Filio unico paterni nominis & fortunarum hærede. Mox, quos ordo Equestris Ducatus Clivia & Comitatus Marchia è Corpore suo delegerant, & ad pompam inaugurationis Academiæ, quæ spei filiorum suorum destinaretur, cohonestandam miserant. Proximum his Illustre & Magnificum Regiminis & Justitiæ Consiliariorum Collegium. E quibus qui adfuerunt, bini singulos duxerunt Professorum togis ad talum demissis indutos. Generosi igitur, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Wirichius à Bernsauw Dominus in Billinghave & Rhunen Consiliariorum Electoralium Senior atque Primus & H. Wilhelm van der Hæven Camerae Justitiariae Præses Johannem Claubergium Theologiæ & Philosophiæ Professorem primarium, Magnificum Rectorem designatum: Johannes à Dieft, Cliviacarum & Marcanarum ditionum Director, & Vice-Cancellarius Regiminis Consiliarius, & Hermannus Paebst, U. J. D. & inter Camerae Justitiariae Consiliarios Director, Martinum Hundium, Theol. Professorem: Johannes Steenbergen & Adamus Ilinck,  
J. U.

J. U. DD. & Regiminis Consiliiarii, Hermannum Rhamackerum, Juris Doctorem & Professore[m] ejusdemque Facultatis Decanum: (desiderabatur Johannes Weyerstrassius, J. U. D. & Professor designatus; qui ad hanc stationem evocatus, Germanico itinere detinebatur, pauloque post peractam inaugurationem adfuit:) Hermannus ab Elverich alias Haes, Consiliarius Regiminis nec non Camerae Rationum, & Matthias Roemswinckel, J. U. D. & Justitiae Consiliarius, Johannem Bernhardum Danielium, Medicinae Doctorem & Professore[m] ejusdemque Facultatis Decanum: ultimo loco Hermannus Ernst & Lambertus Lamberti, U. J. DD. & Justitiae Consiliiarii Johannem Schultingium, Eloquentiae & Historiarum Professore[m], deduxerunt. Exceperunt hos Johannes Theodorus Muntz, J. U. D. & Sereniss. Electoris nomine Duisburgi Praetor, & Johannes à Raab ejusdem Civitatis Consul, Academiae Curatores, qui Christophorum Wittichium apud Noviomagenes Theologiae Professore[m] & p. t. Rectorem Magnificum, summos in Theologia honores sive Theologiae Doctoratum, (ut vocant) unà cum Duisburgensibus Theologiae Facultatis Professoribus consecuturum, ducebant. Quos tandem Urbium his in regionibus & Ecclesiarum nomine Deputati, Synodorum Praesides, nec non dignationis eminentioris Officarii, ut & Doctores, Pastores, Judices, Rectores, Conrectores, Clivienses, Duisburgenses, Vefalenses, Meurfenses; Studiosorum florentissima cohors, denique omnis loci atque ordinis homines, quos spectaculi novitas vel raritas vel favor excitaverant, & ad inaugurationem frequentandam adjunxerant, longo ordine subsequuti agmen clauserunt. Atque ita omnium campanarum fonitu commoto, ingentibus se undequaque laetitiae argumentis, inter perpetuam civium armatorum seriem, qui dispositi utrinque per plateas dextrâ finistrâque erant, ingressa pompa templo majori successit. Ibi musico primum organi, mox vocum humanarum concentu, intermixtâ variorum instrumentorum harmonia excepti; postquam omnes locum cujusque dignitati destinatum cepere, Martinus Hundius Theologiae Professor cathedram conscendit; & praemisso ab Ecclesia Psalmo XCII. concionem habuit rei, quae agebatur, & temporis egregiè accommodatam.

F I N I S.

---

*DVISBURGI ad RHENVM,*  
Typis JOAN. SEBAST. STRAVBE, Typogr. Academ.



533. v 29. 200

Fr. Jumpertz  
Hof-Buchbinderel  
Inh. Oeben & Pindler



